

J U S   A N T I Q U U M  
R O M A N O R U M.

---

I N   U S U M

J U R I S   S T U D I O S O R U M

I N

C A E S A R E A   U N I V E R S I T A T E   L I T T E R A R I A ,  
Q U A E   D O R P A T I   C O N S T I T U T A   E S T ,

C U R A V I T

C H R I S T O P H .   C H R I S T I A N .   D A E L O W ,

I .   V .   D O C T .   E T   P R O F .   P .   O .

Bibliotheca  
universitatis  
Dorpatensis

1919:796

---

D O R P A T I ,  
S U M T I B U S   M E I N S H A U S I I .

M D C C C X X I I .

1844

## *P r a e f a t i o .*

---

*N*e jurium studiosi in hac litterarum universitate careant illis fontibus, a quibus vel ex unanimi doctorum virorum consensu juris civilis studium incipiendum sit, hanc tenuem Juris antiqui Romanorum superstitis collectionem curavi. Constat ea quatuor partibus, per titulos interjectos distinctis, quarum prima exhibet *l e g e s*, ut vulgo vocant, *r e g i a s*; secunda, quod circumfertur *J u r i s P a p i r i a n i f r a g m e n t u m*; tertia *l e g e s a r e g i b u s e j e c t i s u s q u e a d X I I t a b u l a s*

quarta denique ipsas has XII Tabul. leges sistit.

In edendis legibus regis, quae a veteribus Rei Romanae scriptoribus de hac legislatione referuntur, maximam partem praetuli restitutioni a Jureconsultis tentatae, atque ex illis textum constitui, cum in tanta antiquitate omnis restitutio admodum periculosa videatur. Quodsi inter editas leges et alias ex sola conjectura receperim, alias plane rejecerim, nil feci, nisi quod et ab aliis editoribus factum esse compertum habeo: atque in his suum unicuique liberum debet esse arbitrium. Quae adnotata sunt, perpauca tantum, illis vix supersederi posse visum, ad leges ipsas intelligendas. In fronte hujus libri partis, proemii loco collocata sunt, quae vir excellentiss. et de jure civili meritissimus *H a u b o l d u s* ad litteraturam harum legum pertinentia breviter et luculenter disputavit.

*Juris Papiriani quod circumfer-  
tur fragmentum omitti certe potuisset,  
cum manifesto spurium sit, et locus  
tantummodo ex Granii Flacci in  
illud commentariis. Sed nolui aliquid  
deesse in collectione, quod saltem ad jus  
antiquum Romanorum pertineat, licet  
novioris sit indolis. Addendum potius  
videbatur aliud ex Granio Flacco  
fragmentum, quod vir doctissimus P. P.  
Justi ex Barthii studiis denuo in  
lucem protraxit.*

*In editione earum legum, quae jam  
sequuntur, scilicet a regibus ejec-  
tis usque ad XII Tabulas, hanc  
praesertim curam sumsi, ut, quae sub ini-  
tio liberae reipublicae latae sint leges, sedu-  
lo secernerentur ab iis, quae post prodie-  
rint, atque in prioribus, populiscita a ple-  
biscitis, Senatusconsultis, et sanctionibus,  
quae non nisi decreta Consulum fuerint*

*distinguerentur. Quod enim ante XII Tabulas vix nomen legis meruit, dein in legem evectum esse constat: venditari saepe jus ut legitimum, quod a decretis tantum consulum exiit, inveni. Caeterum et hic iterum relationes veterum scriptorum de his legibus, ut quasi earum ipsarum locum teneant, repraesentantur.*

*Legum XII Tabularum, quae ultra dimidium libri occupant, ipsarum editio ita a me adornata est. Primum inveniuntur posita testimonia veterum scriptorum ad historiam harum legum pertinentia, a Jac. Gothofredo collecta, ut, neglectis commentatorum maxime somniis, ad ipsos fontes ducerentur juvenes. Suscipiunt haec, quae ab Ev. Ottone et Hauboldo disputata sunt, ad litteraturam harum legum spectantia, ipsis eorum verbis reddita, ne depereat*

aliquid juventuti, quod a summi ingenii et doctrinae Jureconsultis prolatum sit. Adjectum est *H a u b o l d i i* disciplinae, *judicium E v. O t t o n i s* de singulis interpretibus novioribus in notis, ut simul habeant juvenes, quo auctore de hisce interpretibus judicare possint. Jam sequuntur ipsae *XII Tab. leges* ex restitutione *J a c. G o t h o f r e d i*, quae huc usque viris doctis optima visa est, quamvis omnibus nondum numeris absoluta. In notis textui subjectis, ex omni studio critico et interpretatione, quod mihi optimum videbatur, simul ingenio juvenili accommodatissimum posui, retentis ut plurimum ipsis auctorum verbis. Addidi meum *judicium* ubi necesse videbatur, sine ira et studio, et quomodo me ipsum viderem *judicatum*. Quae ex *G a j i* commentariis instit. in *XII Tabulis* fuisse jam certo sciuntur, ubique addita

sunt: an justo loco, quaestio est, quam decidant alii. Plane supervidenda sunt ea, quae addita in fine unius vel alterius tabulae, ejus quasi restitutionem facere videntur, quatenus conjecturae tantum nitantur, vel dubiae modo probationis sint, cum scopus libri supra indicatus longe alienus sit ab ipsa legum deperditarum qualicunque restitutione, idque solum a nobis actum, ut quaecunque nostra sit de re sententia, ea juventuti tantum tradatur, non immo viris doctis exponatur, nedum obtrudatur his, qui soli sapere sibi viderentur. Dabam Dorpat. Idibus April. MDCCCXXII.

---

I.

LEGES REGIAE

SENATUSCONSULTA ET FOEDERA  
TEMPORE REGUM.

Haubold. *Institut. Jur. Rom. litterar.*  
P. II. §. 10.

Primus qui Romuleae legislationis summam ex auctoribus veteribus colligeret, fuit *Jo. Barth. Marlianus* a) cujus auctoritatem minus caute sequutus est *Franc. Balduinus* b), quamquam nec Marliano in mentem venit priscum aliquot monumentum confingere (quod vulgo putant) nec Balduino tabulam eam pro genuina accipere. Sed Balduinus in octodecim legibus Romuli explicandis substitit, quibus *Pardulph. Pratejus* c) adjecit sex. Novam tum in his tum in aliorum quoque regum Legibus restituendis viam, sed quisque diversam, iniverunt *Lud. Charondas* d), *Just. Lipsius* e), *Fulv. Ursinus* f), et *Paul. Merula* g), cujus, utpote reliquis palmam praeripientis vestigia pressit *Chr. Gottl. Hoffmannus* h). Uterque

etiam luculentam interpretationem addidit. Post hos *Ant. Terrassonus* i) plura fragmenta linguae quam Oscam vocant, restituere adnitus est, praemisso uberrimo in omnes leges regias commentario. \*).

- a) *Lib. II. Topograph. antiq. Rom.* (Rom. 1534. 8.) Unde frequens apud viros doctos mentio tabulae Marlianae de qua varie sentiunt *Geo. d'Arnaud lib. I. Var. conjectur. c. 3*, et *Fr. Nath. Volcmarus lib. Sing. Varior. quae ad leges Romuli et magistratus pertinent.* Vratisl. 1779. 8. Cf. *Chr. And. Meyckii Diatr. de tabula Marliana in qua leges Romuli recensentur.* Alton. 1747. 4.
- b) *Libri II. in leges Romuli et XII. tabul.* Lugd. 1550 f. et p. a. e. in *Jo. Gottl. Heineccii Jurisprud. Rom. et Attica.* T. I. p. 17—170.
- c) *Jurisprud. vetus.* Lugd. 1559. 8. et in *Ev. Ottonis Thes.* T. IV. p. 181 seq.
- d) *Veter. Roman. Leges cum commentariis* Paris 1566 et praem. *Catalog. legum antiquarum per Ulr. Zasium Collect. etc.* Paris 1578 fol. 8—26.
- e) *Leges regiae et decemvirales.* Ed. 2. Par. 1584!f.
- f) In *notis ad Augustin. Lib. de legib. et Sctis.* *Ursinus* tamen in iis fragmentis, quorum verba concepta apud Festum maxi-

me, tum apud Plinium et Gellium reperisset, restituendis et explicandis adquevit.

g) *Lib. singular. de Legib. Roman.* in *Oper. posthum.* Lugd. Bat. 1684. 4., et in *Polemi suppl. thes. Antiq.* T. I. p. 1—254.

h) *Histor. Jur. Romani Justiniani.* Tom. II. p. 9 seq.

i) *Histoire de la jurisprud. Romaine,* p. 22—72.

\*) Ad Scripta in quibus legislatio regia illustratur adhuc referenda sunt. *Ge. Chr. Gebaueri D. Romulus observationibus varii generi illustratu.* Lips. 1719 4. et in *Ej. Exerc. Acad.* T. I. p. 24—28 et *Ejusd. Numa Pompilius observat. varii generis illustrat.* Lips. 1719. 4. *Ibid.* p. 47—52. *Nath. Volcmar Varia quae ad leges Romuleas et magistratus pertinent.* Vratislav. 1779. 8.

## A. Leges regiae.

### I. Leges Romuli.

#### *Lex I.*

#### *De Murorum sanctitate.*

Ne quis nisi per portas urbem ingreditor, neve egreditor. Moenia sacrosancta sunt. \*)

\*) Provocatur ad probandam hanc Romuli legem ad *Plutarchum in Quaest. Rom. qu. 27* et *Pomponium in L. ult. D. de R. D.*, sed frustra. Uterque enim non nisi hoc docet, murorum violationem capite puniri, ideoque etiam Remum, Romuli fratrem, occisum tradi. Ex ratione a Pomponio adposita „*quum illud hostile et abominandum sit*“ scilicet si quis transcenderit muros, fere conjicerem, aliquid de veteri Jure Italico hic pro lege Romuli venditari.

#### *Lex II.*

#### *De necessitate parentum educandi liberos.*

Ut coloni habeant necessitatem educandi quidquid esset masculus, et e filiabus primogenitas: Ut nulla proles necari possit minor triennio, nullaque exponi,

nisi si quid *mutilum* aut *alioqui monstruosum* in ipso partu esset editum atque ostensum prius V viris e vicinia proximis, qui necandum vel exponendum *consensuissent*, haecque omnia sub poena publicandae dimidiae partis bonorum. \*)

\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 88*, qui hanc legem illis annumerat legibus, quas Romulus ad augendum civium numerum tulit, atque inter eas primam refert. Quae vulgo exhibetur lex Romuli his verbis „*monstruosos partus sine fraude caedunto*“ ex ista Dionysii relatione quidem desumpta est, sed firmis certe non stat pedibus. Placere posset conjectura apud *Bachium* (*Historia jurispr. rom. Lib. I. c. 1, §. 2. §. 2.*), partem hujus sanctionis fuisse, quae citatur a Dionysio IX. p. 580 lex antiqua (*νομος αρχαιος*) ex qua omnes, qui propter aetatem poterant, uxores ducere cogebantur, nisi malis subintelligere legem specialem et in Familia Fabiorum, quod praefero, cum simul legamus, omnem partum educari debuisse ex ea lege antiqua: Romulus vero solos masculos, non etiam foeminas omnes conservari voluit.

### *Lex III.*

#### *De asyli constitutione.*

Lucus asylum sit iis qui supplices eo confugiunt, donenturque, qui velint manere, jure civitatis et parte agri ab hostibus capti. \*)

\*) Exhibuimus legem secundum *Dionys. Halic. l. c. p. 88* et *Plutarchum* in *Romulo*. Est altera earum quae ad augendum civium numerum a Ro-

mulo dabantur. Vulgo ita exhibetur: „ne quis ex asylo ut sacro tutoque loco vi abstrabatur.“ — Caeterum locum describit *Dionys. Hal. l. c.* „locum capitolium inter et arcem situm, qui nunc Romana lingua inter duos lucos dicitur, et tunc ex re habebat vocabulum.“ Patuisse hoc asyllum servis fugitivis, obaeratis et maleficis tantum, quod vult *Nieupoort (Rituum qui olim ap. Rom. etc. p. 5)*, ut servis et sceleratis nova civitas adimpletur, nullo modo defendi poterit. Vid. *Wachsmuth die ältere Geschichte des Röm. Staats. Hall. 1819. p. 133.*

#### *Lex IV.*

*De puberibus hostium non necandis aut venundandis, et de colonis mittendis in oppida bello capta.*

Puberes in captis bello urbibus ne amplius necentur, aut sub hasta venundentur, nec agri earum relinquuntur compascui, sed ut in partem agri sorte dividendam coloni Romani mittantur atque ita captae urbes ex hostibus coloniae Romanorum fiant. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 89.* Est tertia lex ex relatione Dionysii ad augendas vires civitatis a Romulo lata.

#### *Lex V.*

*De curiis et tribubus.*

Universus populus Romanus in triginta curias divisus esto, habeatque quaelibet

curia curionem sacris in ea faciundis. Omnibus curionibus praesit curio maximus. In curiis ex omni tribu secundum electionem cujuscunque adscriptio esto \*). Res militaris secundum tribus agetur, et tribus tribuni praefecti sint. \*\*)

\*) Dissensum veterum scriptorum (*Dionys. Halic. II, 7 seq. Livii I, 18, et Plutarchi in Rom. c. 13. 22*) circa tribus et curias nuper egregie composuit vir doctiss. *W. Wachsmuth. l. c. p. 191 seq.*), quem in edenda lege sequuti sumus.

\*\*\*) In ista Romuli institutione originem ordinis equestris rectissime posuit *Wachsmuth l. c.* inquit: „*Dass Ritterstämme und tribus für eins zu halten sind, wird auch durch alterthümliche Sitte erwiesen. Die Edelsten thaten Kriegsdienst zu Pferde, aber sie erschienen noch nicht absondert zu einem reitenden Corps, sondern die Fussknechte wurden den Reisingen zugegeben: ein Reiter hatte gleichsam ein Fähnlein von diesen, gewöhnlich seinen Clienten. Wenn also von ausziehenden Ritterstämmen geredet wird, so verstehen sich die Fussknechte von selbst, und es ist eben so gut, als wenn es heisst, die tribus ziehen aus.*“ Caeterum si hoc loco posuerim una cum curiis tribus, quos *Wachsmuth.* juniores curiis putat (unum tantum tribum ab initio statuit *Niebuhrus*) in eo a viris doctissimis discedo, quod duos ab initio tribus, *Rammenium* et *Lucerum* statuam, quibus dein accessit tribus *Tatiensium*.

*Lex VI.**De agri divisione.*

Ager romanus, detracto eo quod sacris et publicis usibus sufficit, in triginta sortes aequales pro numero curiarum dividitor. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. e.*

*Lex VII.**De ordinibus.*

Duo in republica ordines sunt, patriciorum et plebejorum. Prioribus accensento, tum illustres genere, tum virtute celebres, tum denique opibus pro tempore abundantes. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 83.* Ex hac Romuli institutione abundantes opibus plebeji in posterum ipso jure inter patricios evehebantur, non vero patricii egeni facti in posteritate eorum ad plebejos ipso jure transibant, cum ad exemplum nobilitatis nostrae hic ordo in posteris continetur,

*Lex VIII.**De patriciorum et plebejorum muneribus.*

Ut patricii sacra curent, magistratusque gerant, jus reddant, cum rege rempublicam administrent, res urbanas obeant: plebeji vero ab his negotiis immunes agros colant, pecora alant, exercent quaestuosas opificias. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. e. p. 83.*

## Lex IX.

*De jure patronorum et clientum.*

1. Ut *patroni* clientibus de jure respondeant, et absentium aequae ac praesentium curam gerant, facientes quidquid pro filiis parentes solent facere: ut quod ad pecunias et pecuniarios contractus attinet, et lites pro clientibus suscipiant, et si eis contra jus in his contractibus afferretur detrimentum, itidemque si in jus vocarentur, sustineant actoris impetum. Et rel. \*)

2. Ut vicissim *clientes* patronos in elocandis filiabus juvent, si eis parum esset pecuniae; et si vel ipsi, vel eorum filii capti essent, pretium hosti dependant, privatarum quoque litium deperditarum aestimationes et mulctas pecuniarias publicas pro his solvant, idque sumtu proprio, non foenore sed gratis: ut denique in magistratibus item et muneribus gerendis caeterisque publicis impendiis sumtuum partem non minus quam gerere propinquos sustineant. \*\*)

3. Ne fas aut jus sit *alteris* accusare *alteros*, aut adversum dicere testimonium ferreque suffragium, aut censeri inter ini-

micos. Quodsi quis deprehensus esset aliquid horum facere teneatur *lege de proditoribus.* \*\*\*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 84* qui addit: Et ut compendio dicam, quietem eis, qua maxime opus haberent parare a privatis publicisque negotiis.

\*\*\*) *Id. eod.*

\*\*\*) *Id. eod.* Male haec lex Romuli ita scribitur ab aliis: si patronus clienti fraudem faxerit sacer esto, cum Servius ad *libr. VI. Aeneid.* ad Virgili illud: „aut fraus innixa clienti“, ad quem provocant, hanc sanctionem expressim Legibus XII. Tab. tribuat. Caeterum Romuli legem illustrarunt *Heur. Jo. Arnzen. Observation. Syllog. in Act. literar. Societat. Rhen. Traject.* Lugd. Bat. 1793. 8. T. I. p. 119 seq. et *Chr. Aug. Schulz in selectis juris patronatus Quiritium.* Spec. 1. Dresd. 1799. 8.

## *Lex X.*

### *De Proditoribus.*

Ut hujus criminis \*) convictum cuivis fas esset ut Diti sacrum interficere. \*\*)

\*) Scil. proditionis. Caeterum proditio non est crimen illud quod serior aetas *perduellionem* appellavit, sed pars tantum hujus criminis, ita tamen, ut in eo primum certe locum tenuerit. Vid. *Brisson. voc. perduellio* et *H. C. C. Grünebusch pr. de crimine perduellionis atque majestatis apud priscos Romanos etc.* Cell. 1801. p. 4.

\*\*\*) *Dionys. Hal. l. c.* qui addit: „mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere deo cuiquam, praecipue diis inferis. — Caeterum tempore haec lex certe prior hic ideo collocata est, quod sit incertae aetatis, et ipse

Dyonys, ejus tantum occasione data mentionem fecerit.

### *Lex XI.*

#### *De Senatu instituendo.*

Senatus esto centum membris constans curiarum suffragiis \*) commendatis in nonaginta novem, centesimo ab ipso rege addito, qui praesit senatui nomine regis, et cui urbanarum rerum regimen committeret, quoties ipse foris exercitum duceret.

\*) Aliter electionem senatorum repraesentat *Dionys. Hal. l. c. p. 86*, fortissimis rationibus impugnatus a *Wachsmuthio l. c. p. 203*. — *Livius I, 8*. Senatus ordinationem ante curiarum institutionem ponit. Veritas in medio est. Ante populi divisionem de Senatu creando cogitari non poterat. Caeterum cooptationem, quam statuit *Wachsmuth l. c. p. 203* more Etruscorum et Samnitium defendere non ausim. Pro mea sententia stat *Dionys. Hal. II, 47*. dum inquit, Romanis et Sabinis societate junctis, centum adhuc Senatores curiarum suffragio additos esse, quod certe ita intelligendum est, ut iterum nonaginta novem a populo electi sint, centesimus vero a Tito Tatius constitutus fuerit.

### *Lex XII.*

#### *De institutione Celerum.*

Trecenti viri robustissimi ex nobilissimis familiis delecti adsint regi tum ad corporis tutelam tum ad necessaria munia

exsequenda, iique commendati curiarum suffragiis quemadmodum senatores: \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 86.* Celeres ut plerique tradunt a celeritate ministerii — — ut vero Valerius Antias auctor est a duce, cui nomen id fuerit.

### *Lex XIII.*

#### *De honorum et potestatis distributione.*

1. Ut penes *regem* esset principatus sacrificiorum et reliquorum sacrorum, per eumque gereretur quicquid ad placandos Deos attinet \*). Ut legum ac consuetudinum patriarum haberet custodiam, omnisque juris quod vel natura dictat, vel pacta et tabulae sanciant curam ageret: Ut de gravissimis delictis ipse decerneret, leviora permetteret senatoribus, providendo interim, ne quid in iudicio peccaretur: ut senatum cogeret, populum in concionem convocaret, primus sententiam diceret, quod pluribus placuisset ratum haberet: ut denique summum in bello imperium haberet.

2. Ut *Senatus* de quibus a rege ad ipsum referretur, de his decerneret et ferret calculum, ita ut semper obtineret plurimum sententia.

3. Ut *plebs* magistratus creet; leges sanciat, de bello si rex permisisset decernat, non tamen absoluta in his populo potestas sit, nisi et senatus accesserit auctoritas. \*\*)

\*) In hac Romulī sanctione deprehendi posset obligatio ad obeunda certa sacrificia, simul arctissimus nexus inter haec sacrificia et regiam potestatem, indeque pulsis regibus necessitas eligendi regem sacrificulū, de quō infra.

\*\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 87.* Hanc reipublicae constitutionem a Romulo factam optime exposuit *Wicher Wichers* Diss. *Specimen observationum de forma et disciplina civitatis Romanae sub primis regibus ad indolem populi accommodatis.* Traj. ad Rhen. 1804. 4.

### *Lex XIV.*

#### *De Deorum cultu.*

Deorum fabulas ne credunto. \*)

Deos peregrinos praeter Faunum ne colunto.

Nocturnas vigiliās in templis ne habento.

\*) Nonnulli fusius seq. *Dionys Hal. l. c. p. 90* legem ita exprimunt: „ne quid Deorum fabulis; in quibus probra eorum et crimina commemorantur, adhiberetur fidei, sed omnes sancte, religiose, casteque de diis immortalibus sentirent et loquerentur: nihil quod beatis naturis indecorum affingentes.“ Caeterum ubique arcendorum sacrorum peregrinorum auctor, et gentilis theologiae reformator Romulus fertur. Conf. *Cern. v. Bynkers.*

*hoeck de cultu relig. peregrin. apud vet. Roman.  
in Opuscul. var. argum. p. 233 seq.*

### *Lex XV.*

#### *De Sacerdotio.*

Sunto sexaginta sacerdotes, iique omnium sacrorum tum publicorum tum privatorum curam habento. \*)

Fratres aruales sacra Cereris curanto, eorumque primus ipse rex esto. \*\*)

Sacerdotia, ut neque venalia sint amplius, neque sorte distribuantur, sed ut e singulis curiis legantur bini annum egressi quinquagesimum, qui virtute ac genere praecellerent caeteros, opesque haberent sufficientes, et integro essent corpore: et ut hi in omnem vitam hunc honorem gerant, immunes propter aetatem a militia et propter privilegium ab urbanis molestiis exempti. \*\*\*)

Ut ubi sacra per mulieres fieri oporteat, vel per pueros *patrimos, matrimosque* †) sacerdotum quoque uxores vel solae vel cum suis maritis, nec non sacerdotum liberi fungantur. Quodsi partu carerent, eis liceat optare ex aliis cujusque tribus familiis puerum puellamque elegantissimos, alterum ministraturum sacris do-

nec pubesceret, alteram tantisper dum pura esset a nuptiis. ††)

Ut vates unus ex quoque tribu sacris intersit, et ut sacerdotes a suis curiis designarentur, eaque electio tum demum rata habeatur, si comprobata fuerit ab auguribus. †††)

\*) *Dionys. Hal. l. c.*

\*\*\*) *Gell. noct. Att. VI, 7.* „Sed Sabinus Massurius in primo memorialium secutus quosdam historiae scriptores Accam Laurentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit, in illius locum Romulus Accae Laurentiae sese filium dedit; seque et caeteros ejus filios *fratres aruales* appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arvalium numero duodecim. Cujus sacerdotii insigne est Spicea corona et alba infula; Conf. caet. *Cajet. Marini* in *Oper. inscript. Gli Atti e monumenti de fratelli arvali.* II, Tom. Rom. 1795. 4.

\*\*\*\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 92.*

†) *Patrimi* et *matrimi* dicuntur proprie, confarreatis nuptiis nati. *Festus* voc. *flam.* et *patrimus.* *Tacit. Histor. IV, 43.*

††) *Dionys. Hal. l. c.*

†††) *Id. eod. p. 93.* Ad hanc Romuli sanctionem cf. *J. D. Schoepflinii Comment. historic. et critic. p. 145 seq.*

## Lex XVI.

### De Auspiciis.

Ne quid inaugurato faciunto. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 81.* qui hanc Romuli sanctionem ita exprimit: „*ne quis regnum assumeret,*

*magistratumque iniret, nisi et Deus idem probaret.*“

Augures primum institutos esse in republica a Romulo *Dionys. Halic. II, 64* autor est, ita ut tres pro numero tribuum essent, quibus postea, ut vulgo fertur, a Servio Tullio quartus additus est. Sed si numerum tribuum dein duplicatum esse legimus, etiam sex augures creatos oportet.

## *Lex XVII.*

### *De Matrimonio.*

Mulier viro legitime conjuncta fortunarum et sacrorum socia illi esto: utque domus ille dominus, ita et illa domina: atque defuncto viro non secus ac patri heres esset in portionem quidem aequam, si liberi exstarent, ex asse vero si minus. \*)

\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 95.* Nuptias sacras *Dionys.* ita describit: Nominant autem prisci Romani sacras nuptias vocabulo suo *farracia* a communione farris, quod nos Graeci *zeam* dicimus. Et quemadmodum nostri homines antiquissimam hordeaceam frugem rati, hordeo victimas initiant *ὄυλας* illud, id est molam salsam nominantes, ita Romani quamvis hostiam igne adolendam respargunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquissimum extimant et honoratissimum. „Distinctus *Ulpian. fragm. IX. de his qui in manu sunt* „farre inquit convenitur in manum certis verbis et testibus decem praesentibus et solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.“

Certe non sancivit Romulus, ut vulgo exhibetur: „mulier viro legitime conjuncta“; sed praeeunte Dionysio „secundum sacras leges conjuncta“, autorque ipsius matrimonii per confarreationem non fuit: effectus solum civiles et sacros hujus matrimonii definivit. Caet. vid. praeter B. Brisson. de ritu nuptiar, Chr. Ulr. Grupen de Uxore romana. Hannov. 1727, Herrm. Cannegieter Observ. Jur. Romani lib. IV. cap. 11. p. 424 et Jo. Car. Münter de matrim. Rom. in specie de confarréato. Goett. 1786.

### Lex XVIII.

#### De mariti judicio de moribus uxoris.

Si autem aliquid peccasset mulier, ut poenam lueret ex mariti laesi arbitrio, et de hujusmodi criminibus cognati cum ipso cognoscerent, in quibus violata erat pudicitia, et si deprehensa esset vinum bibisse mulier. \*)

\*) Dionys. Halic. l. c. p. 96. Gell. lib. X. c. 23. Forsitan haec lex, quam ipsis Dionysii verbis retulimus, fuit appendix praecedentis legis. Vid. et. leg. sequent.

Adhuc dispiciendum est, quam late patuerit mariti ejusve consilii potestas, et an ipsi, vindice alioue mortis genere, in uxorem ebriam vel adulteram animadvertere licuerit. Sunt qui Romuli legem ita relinquant: „Adulterii convictam vir et cognati, uti volent, necant“, quos acriter jam reprehendit Cujacius (Obs. VI, 25) judicii hujus potestatem non excessisse ratus mulctae dictionem, tum quod apud Gellium mulctae tantum mentio fiat, tum quod *ἑμιονν* apud Dionys. Hal.

etiam nihil aliud sit, quam infligere mulctam. Regerunt illi quidem, in Codic. Dionysii Vaticano legi *ἡμιούν θανάω* et in Ms. Gellii melioribus non esse mulctare, sed necare: sed egregie eos refutavit, vulgatam lectionem sustinens *Jo. Guil. Hoffmann. D., ad leg. Jul. de adulterio in Dan. Fellenbergii Jurispr. antiq. T. I. p. 115 seq.* Et divortium ipsum certe jam poenae satis erat: aliud est jus mariti occidendi uxorem in adulterio deprehensam vel solam vel cum adultero, quod jam Romuli aevo in usu fuisse putari potest, non aequè jus patris.

Legem caeterum ad imperium maritale pertinuisse, dubitari non potest, ritu confarreationis fundatum, quod egregie exposuit *de Ranitz, D., de lege sacra Romuli de nuptiis, p. 6 seq.*

## *Lex XIX.*

### *De Divortio.*

Virum uxor ne deserito. Uxorem si in veneficio natorum, adulterioque deprehensa clamve marito fuerit, repudiandi jus esto. Qui praeter has causas repudiaverit, rerum ejus pars uxori daretur, pars autem Cereri cederet. \*)

\*) **A** nonnullis adjiciuntur verba ultima hujus legis, legi praecedenti, sicque omnia confunduntur. *Dionys. Hal.* de divortio ejusque causis nihil habet. Fundus hujus legis solus est *Plutarch. in vita Romuli p. 39*, dum tradit, Romulum quidem maritis permisisse divortium at non uxoribus, sed nec illis quidem sine causa gravi licuisse uxoribus mittere nuntium, verum si constaret, eas aut stu-

*prum passas esse, aut venenum parasse, aut liberos clavesve subjectisse.* Quare si Plutarcho credimus, lex ita foret constituenda: „Uxorem si stuprum passa fuerit, aut venenum paraverit, aut liberos clavesque subjecerit, repudiandi jus esto.“

Lex quamquam generaliter concepta ad nuptias tamen sacras solum pertinuisse videtur, non ad alias legitimas nuptias, jam Romuli aetate certe non incognitas. Dissimilitudinem enim jurium in eo solo ponendam esse, in oculos incurrit, quod mulier in manum mariti convenerat, non aequè maritus in manum uxoris. Caeterum solius mariti factum non sufficiebat ad dissolvendum matrimonium, sed debebat accedere ritus sacer in diffarreatione, de qua vid. *Festum* voc. *diffarreati*. De execrationibus diffarreationem concomitantibus vide *Plutarch. Quest. Rom. p. 276*: „Οί δε έερεΐς παρεγένον το τῆ τοῦ γάμου διαλύσει, κολλα Φρικώδη καὶ άλλοκοτα καὶ σκυθροπὰ δρω̄ντες“, simili modo ut adhuc hodie apud nonnullos Indiae populos.

## *Lex XX.*

### *De patria potestate.*

Parentum in liberos omne jus esto relegandi, vendendi et occidendi. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 96* haec refert: Romanorum legislator omnem potestatem patri dedit in filium, idque toto vitae tempore, sive in carcerem eum detrudere, sive flagris caedere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat, etiamsi magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga rempublicam laudem sit promeritus. — — —

Permisit etiam vendere filium: — — — hoc quoque patri concessit, licere illi terna filii venditione pecuniam quaerere, majorem largitus potestatem patri in filium quam hero in mancipium.“ Haec quae circumfertur lex Romuli cum alia ejusdem lege (IX. supra relata) optime jungi poterit, modo inter jus publicum et privatum civium Romanorum distinguas.

Triplex imperium domesticum patrisfamilias statuit cum aliis *Serp. Gratama* (in *praelect. ad proleg. et prim. part. institut.* Groen. 1818. p. 145) in servos, in liberos et in uxorem. Nobis duplex tantum invenire licuit, in liberos et in uxorem, cum servi re vera dominio contineantur. Conf. caet. ad hanc Romuli legem dein in XII, Tabulis receptam, praeter ea quae a *Noodtio* et *Bynkershaeckio* disputata sunt, *Operib. eor. dein inserta, Abr. Wielingium de jure antiquo vitae et necis parentum in liberos.* Amstelod. 1723, ab *Idsinga var. jur. civ. c. 12. Gebaue- rum in Diss. de patr. pot. in exerc. acad.* I. p. 123 seq. et *editoris Handb. des Pandecten-Rechts, in einer kritischen Revision s. Hauptlehr.* P. 3.

### Lex XXI.

*De non laedendo pudore mulierum.*

Ne quis praesentibus foeminis obscaena verba facito. \*)

\*) Probatur haec lex ex *Plutarcho in Romulo p. 30:* „multa, inquit, constituit in honorem foeminarum ex quibus haec sunt: *decedere illis via, ab omni obscaeno dicto praesente muliere abstinere, non conspici nudam, aut apud judices rerum capitulum illas causam dicere.*“ Sed si fides *Plutarcho* habenda, lex latius concipi debet, et non ad

dicta obscaena restringi. Caeterum fundus videtur plurium legum post duodecim tabulas latarum. Legem non de quibuscunque foeminis, sed de solis nuptis intelligendam censei *Herr. Joh. Arntzen Observat. syll. c. 2. in Act. Societ. Traject. T. I. pag. 116 seq.*

## *Lex XXII.*

### *De poena nuris socerum verberantis.*

Si nurus socerum verberaverit, et ille inclamaverit, sacra diis ejus esto. \*)

\*) Plerumque haec lex, quam ex Festo probant, ita legitur: „Sei noros parentem verberit ast ole plorasit, sacra diveis parentem estod, sed male.

Ait Festus sub voc. *plorare*: *plorare flere, inclamare* nunc significat, et cum praepositione *implorare*, id est *invocare*, at apud antiquos plane *inclamare*. In Regis Romuli et Tatii legibus: *Si nurus sacra divis parentum estod*, et in Servii Tullii haec est: *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit pareri, puer divis parentum sacer esto.*

Corruptum hunc Festi locum ita restituit *Jo. Scaliger*: *Sei. parentem. puer. verberit. ast. oloe. plorassint. puer. Deivis. parentum. sacer. esto. Sei. nurus. Sacra. diveis. parentum. esto.*, sed manifesto errore simul Leges Romuli et Tatii et Servii Tullii in unum conflavit, quas tamen Festus expressim distinguit. Et legem de nuro socerum verberante Romulo et Tatio tribuendam puto, legem de puero parentem verberante autem Servio Tullio, si quae unquam talis lex exstitit tempore regum, de quo vid. infra.

## II. Leges Numa Pompilii.

In Numa e legislatione primum certe locum occupat hujus regis

*C o d e x*  
*ad religionem et Sacerdotium*  
*pertinens,*

octo libris divisus \*), quorum librorum rubricas ita fere indicat *Dionys. Hal. l. c. p. 124 seq.*; Lib. I. *de Curionibus.* Lib. II. *de Flaminibus.* Lib. III. *de Tribuno caerum.* Lib. IV. *de Auguribus.* Lib. V. *de Virginibus Vestalibus.* Lib. VI. *de Saliis.* Lib. VII. *de Fecialibus.* Lib. VIII. *de Pontificibus, omniumque horum ministeriis et sacris.* Atque ex his plura refert Dionysius, quae sanctiones speciales fuisse eo credibilius est, quo ipse in fine relationis suae addit: *Quas igitur de rebus divinis leges instituit Numa distinctas juxta sacrorum classes, hae sunt praecipuae et luculentissimae, ne alia minutiora commemorem\*\*).* Unde ex his et illis, quae apud alios veteres scriptores reperiuntur, collectores legum regiarum hauserunt legem primam et secundam

Numae Pompilii inter leges ejus, quas jam ordine chronologico exhibituri sumus.

\*) Si negamus existentiam hujus Codicis, simul ipsam fidem historicam negamus, cum quibusdam hominibus nostri saeculi historiam ex ingenio compositori. Atque librum hic intelligo, in quo Sanctiones suas religionem et sacerdotium spectantes conscribi jussit Numa, dein collegio pontificum tradi: quem si Codicem appellarim certe a vero non aberraverim.

\*\*) Rubricas partis posterioris Codicis a Numa emanati fuisse putarem, quas refert Dionysius, et in parte priori, de qua plane tacet, de Deorum cultu actura.

## *Lex I.*

### *De Deorum cultu.*

1) Ne quis Deum vel hominis speciem, vel animalis cujus formam habere credat. \*)

2) Ad Divos caste adeatur, pietas adhibeatur, opes amoveantur, separatim nemo Deos habeat, neve novos, neve advenas, nisi publice adscitos privatim colat. \*\*)

3) Sacra Diis instituta sancte serventur: fruge molaque salsa litetur.

4) Templum Diis constructum profanis usibus ne polluantur.

5) Templum Jani belli pacisque perpetuum indicium esto. \*\*\*)

6) Sacra privata perpetuo manento.

7) Cautè vota reddunto. Poena violati juris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato: auri argenti eboris sacrandi modus esto.

8) Deorum manium jura sancta sunt. Hos leto datos, divos habento: sumtum in illos luctumque minuunto. Februario mense mortuis parentato hostia maxuma. †)

\*) Merula ex *Plutarcho* in *Numa*, p. 69 sep.

\*\*) Si fides legi, sacra privata, huc usque *arbitraria*, restricta sunt ad Deos, quos *publice* colere permissum erat.

\*\*\*) Sanctiones sub numeris 2—5 comprehensas *Merula* ex *Cicerone de Legib. Lib. II.*, *Livio Lib. I.*, *Augustino de civit. Dei Lib. IV. c. 23*, aliisque constituit.

†) Sanctiones sub numeris 6, 7 et 8 ex *Cicerone de Legibus mutuatae* sunt, dummodo in ejus relatione curatius distinguas vere antiqua ab illis quae ab eo ficta accesserunt.

## *Lex II.*

### *De Sacerdotibus.*

1) Divis aliis alii sacerdotes sunt. \*)

2) Curiones triginta sacra cu-

riarum, quibus praefecti sunt, scuranto, proque Curialibus publice rem divinam faciunto. \*\*)

3) Tres flamines, Dialis Jovi, Martialis Marti, Quirino Quirinallis assidui sacerdotes sunt. \*\*\*).

4) Tribunus celerum sacris sibi adsignatis operam dato. †)

5) Augures signa de coelo servant, publica que a privatis discernunt, quaeque vitiosa diraque edixerint irrita scaeva que habent, ††)

6) Vestales virgines ignem foci publici in urbe sempiternum custodiunt. Quae stupri convictae ad portam Collinam vivae defoduntur: qui vitiasset virgis in foro ad mortem caedit. †††)

7) Salii duodecim Deorum belli praesidium universum laudatores, Marti Gradivo Sacra in palatio celebrant. \*)

8) Feciales foederum, pacis, induciarum oratores iudicesque, videntes sedulo, ne nlli foederatae civitati injustum bellum inferatur.

De legatorum injuriis judicanto, et si quid Imperatores contra jusjurandum peccassent expiatio. \*\*)

g) Pontifices denique de omnibus causis quae ad sacra, tam inter sacerdotes quam profanos judicanto: novas leges de sacris ex sua sententia et arbitrato condunto, sacerdotes omnes examinantes, sacrorumque ministros in officio continentes. De Deorum geniorumque cultu totoque religionum ac ceremoniarum consulentes docento, praescriptaque a se continententes pro delicti qualitate et magnitudine mulctanto. Nullius potestati obnoxii sunt, isque qui maximus nomine collegio praesideat maximarum quoque rerum quae ad sacra religionemque pertinent iudex esto et vindex contumaciae magistratum et privatorum. \*\*\*)

\*) Rem divinam jam a Romulo ordinatam fuisse autor est *Dionys. Hal. II. p. 90—92*, qui ex *Terentio Varrone* in *antiquitatibus* refert, in nulla certe recens condita urbe tot sacerdotes ac Deorum ministros ab initio adfuisse, Romulum enim praeter gentilitia sacerdotia, qui publice pro civitate sacra tributim et curiatim facerent, sexaginta de-

signasse. Sed generaliter tantum ordinasse Romulus videtur sacerdotium, non unicuique Divorum suum proprium distribuisse.

- \*<sup>\*</sup>) *Curiones triginta* jam inde ex Romuli institutione a suis quisque curiis legebantur ad modum nostrorum parochorum, qui sacra publica pro Curii curarent (*Dionys. Halic. II. 64*). Qui omnibus praeerat *curio maximus* dicebatur. Festus voc. *Maximus*. Videtur Numa hanc Romuli institutionem detracto Curione maximo confirmasse, simulque curiones cum reliquis sacerdotibus collegio pontificum, ab eo primum instituto, subjecisse.
- \*\*\*<sup>\*</sup>) *Flamines* sacerdotes erant uni alicui numini addicti, ejusque sacra curantes. *Cic. de Legib. II. 8*. Appellantur ita vel a filo quo caput cingebant (*Varro de lingua latina IV, 15. Plutarch quaest. Rom. 39*) vel a pileo (*Plutarch Numa*), vel denique a flameo, capitis tegumento (ut vult *Vossius* post *Dionys. Halic. II, 64.*): hos primus Numa instituit.
- †) Ex ista Numae ordinatione, si fides Dionysio, sequitur, *tribunum celerum* ad instar curionum personam quoque divini juris fuisse. Ceterum neque eum neque curiones personas mere sacras facerem. Et rex ipse utramque personam cum sacram tum civilem repraesentabat. Sed non conveniunt Dionysius et Plutarchus qui posterior in *Numa* narrat, hunc regem Celerum institutionem abolevisse.
- ††) Adderem „*illisque solis sacerdotium vivis non eripito*” ex *Livio I, 18* et *Plinio Epist. IV. 8*. — Augures ab aruspibus diversi erant. Non una eorum erat observatio, prout lex innuere videtur: admodum diversa. *Nieupoort Antiq. Rom.*
- †††) *Virgines Vestales* in honorem Vestae primum a Numa creatae sunt quatuor, quarum numerus dein

auctus est. *Capiebantur* (nam hoc proprium huic rei verbum est) primo tempore a regibus, iisque pulsus a pontifice maximo et per triginta annos ad ministerium Deae obligabantur. Quae aetate omnium maxima erat, *virgo maxima* dicebatur (*Tacit. Annal. XI, 32*) atque reliquis summa eum dignitate praeerat. De mutationibus quae in ista institutione sequenti aevo acciderunt confer *Aug. Nardal Histoire des Vestales (in memoires de l'Ac. des inscript. T. IV p. 161 seq.)*. Jura et privilegia Vestalium curatius exposuit *I. F. Eisenhart D. de vestalibus et jure vestali populi Romani in Opuscul. p. 99 seq.* Plura exempla de punitis virginibus vestalibus secundum legem Numae *Dionysius* habet.

\*) *Salii Martis* sacerdotes a Numa instituti sunt occasione pestilentiae qua urbs laborabat. Plura de illis vid. ap. *Nieupoort. l. c. Sect. IV, c. 2. §. 13.* Alios adhuc *Salios* instituit Tullus Hostilius qui *Salii Collini* dicti sunt, cum a Numa instituti *palatini* appellarentur. Diversitas nominis a loco quo *Sacra* fiebant descendit.

\*\*) *Fecialium*, quos Numa primus in republica Romana instituit, originem in veteri Jure Italico quaerendum esse, persuasum mihi habeo. Nomen varie derivatur. Uberius de illis egerunt *Jensius* in *ferculo literario I. p. 49. seq.* *Jo. Dan. Ritter de fecialibus populi romani.* Lips. 1732. *Fr. Car. Conradi De fecialibus et jure feciali populi Romani.* Helmstedt, 1734. et *Just. Chr. Stuss Gedanken von den Fecialen des alten Roms.* Goett. u. Leipzig 1757 adj. *Heinsii Versioni Germanic. libror. Ciceronis de Legib. p. 163 seq.* Officium eorum abunde exhibet *Lex Numae*: caeterum *jus gentium* per eos proprie formatum esse fere contenderem.

\*\*\*) *Liv. I, 20. Pontifices Numa* instituit quatuor eos-

que patricios, cooptatosque hoc tempore a collegio suo, cui praeerat pontifex maximus, similiter a Numa institutus, quem semper comitiis tributis ex ipso collegio creatum volunt. *Dionys. Hal. II, 45. Liv. I, 20.* (Conf. *Scripta Gutherii et Bossii de jure pontificio et pontif. Max. in Graev. Thes. V. p. 1, et p. 225.*

### *Lex III.* *De Termino.*

Si quis terminum exarasset, ipse bovesque sacri sunt. \*)

\*) Ita vulgo lex editur auctoritate Festi voc. *terminus*, qui „*termino saerificabant* (ait) *quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant: denique Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse.*” Ex *Dionys. Halic. l. e. p. 133* legem latius concipiendam esse conjiceremus: sic enim ille: „*ut contenti propriis aliena non concupiscerent cavit lege de terminandis praediis.* Cum enim unumquemque jussisset suas possessiones circumscribere ac in finibus statuere lapides, lapides istos Jovi terminali sacros esse voluit: jussitque ut illis omnes quotannis stato die solenni coetu eo in loco rem divinam facerent, sacrato cum primis nobili festo in honorem Deorum qui terminis tutelares praesident. Id Romani vocant *terminalia*, sicut limites ipsos appellant *terminos*, una nostrae linguae littera mutata, nos enim *τερμόνας* dicimus: quos si quis transferre ausum fuisset aut tollere, lege lata caput ejus qui tale quid patrasset deo terminali devovit, interfectori ipsius, tanquam Sacrilegi, imunitate promissa et puritate a scelere etc.” Plura de ipso Terminio Deo vid. in *Memoir. de l'Acad. Paris. II, p. 63.*

*Lex IV.**De contractibus et jurejurando.*

Ut contractus dubii et sine testibus, fide ac jurejurando terminentur: utique magistratus ac judices in dubiis causis reliquis ex alterius fide et sacramento suam interponant sententiam. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 134.* Numa non solum juramentum a partibus delatum, sed necessarium quoque et a judice injunctum induxisse, ex relatione Dionysii certum est. Eum quoque addidisse perjuri poenam fere colligerem eloco *Ciceronis de legib. II.* „perjuri poena divina exitium, humana dedecus” quam Sanctionem ex jure antiquo Cicero mutuasse videtur: jam locus e Granii Flacci comment. de quo vide infra in Jure Papiriano, omne de re dubium tollit.

*Lex V.**De jure patris vendendi filium.*

Ut si pater filio concesserit uxorem ducere, quae futura illi juxta leges sacrorum bonorumque omnium particeps, eidem nullum postea jus vendendi filium esset. \*)

\*) *Plutarch in Numa p. 71.* Egregie fallunt, qui ex ista lege necessitatem deducunt, qua feruntur liberi in nuptiis habere patris consensum, qui jam ab initio desiderabatur in omnium qui essent in potestate liberorum nuptiis. Sed ne pater qui semel concesserat filio habere familiam, eum dein hoc jure iterum pro lubitu privari possit, hac lege praecavetur.

*Lex VI.**De Servis cum domino epulantibus.*

Ut Saturnalibus servi una cum dominis eadem epulentur mensa. \*)

\*) *Plutarch l. c. p. 75.* Libertatis gustum ista sanctione Numam servis praeberere voluisse putat Plutarchus; sed longe alia est ratio legis, ut scilicet domini humaniores fierent in servos: atque in Saturnalibus aurea aetas representabatur, qua omnes homines ejusdem conditionis fuerunt, *Nieupoort Antiq. rom. Sect. IV. c. 1. §. 15:*

*Lex VII.**De mulierum conductu.*

Ut matronae omnem verecundiam et sobrietatem servent, vino plane se abstineant, curiositatem fugiant, silentium teneant, et ne de rebus quidem necessariis dicant sine viro. \*)

\*) *Plutarch. l. c. p. 77.* In ista lege partem nova continentur, partem, quae jam a Romulo sancita erant, reiterantur tantum et confirmantur. Sed egregia certe sunt quae sanciantur atque digna, ut nostro aevo, quo et corpus et animus mulierum adeo luxuriat, restaurentur.

*Lex VIII.**De tempore luctus.*

Ut puerum trimulo minorem ne quis lugeat, majorem ne plures menses, quam

ille annos vixit usque ad decem: nullam aetatem ultra. Longissima luctus dies X. mensibus terminetur: idem spatium viduis quoque abstinendi, a morte mariti praefinitum sit, quaeque ante nupsisset bovem foetam immolet. \*)

\*) *Plutarch. l. c. p. 67. Errat Raevard. varior. l. c. 20. hanc legem inter Romuli leges referens.*

### *Lex IX.*

#### *De Pellice.*

Pellex aram Junonis ne tangito. Si tanget Junoni crinibus demissis agnum faeminam caedito. \*)

\*) *Festus in voc. Pellices.* Pellices nunc quidem appellantur alienis succumbentes non solum faeminae, sed etiam mares. [Antiqui proprie eam pellicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat cui generi mulierum etiam poena constituta est a Numa Pompilio hac lege: „*Pellex aram Junonis ne tangito: si tanget Junoni crinibus demissis agnum faeminam caedito.*“ Vid. et. *Gellium N. A. Lib. IV, c. 3. — L. 144 D. de V. S.* „Libro memorialium Massurius scribit, *pellicem* aput antiquos eam habitam, quae cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari. Granius Flaccus in libro de jure Papiriano scribit, *pellicem* nunc vulgo vocari, quae cum eo cui uxor sit, corpus misceat; quosdam eam, quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam *παλλακην* Graeci vocant.“ Massurii et Flacci de pellice sententiam praeferendam esse, recte defendit *H. Canegieter ad leg. Numaee de ara Junonis non tan-*

*genda.* Lugd. Bat. 1743 in *Fellenberg. jurispr. antiq.* T. I. Nr. 6. Caeterum de Graeca voce *παλλαξ* et *πάλλακη* confer *L. C. Valckenaer in Ammon. anim.* I, 12 p. 52. *Arae* an immo *aedis* tactu interdictum fuerit pellici disputatur, quia in libris antiquis Gellii *Lib. IV. c. 3.*) exaratum invenitur „*pellex aedem Junonis ne tangito.*” *Arae* lectionem praefendam esse ostendit *Cannegietter l. c.* cum in innumeris aris celebrata sit Juno a mulieribus, quas *Dionys. Hallic.* *mensas* appellat, quia mensae ararum vice fungebantur, eoque pertinere locum e *Gran. Flacci comment. in Jus Papir.* qui a *Macrobio Saturnal. III,* citatur.

### *Lex X.*

#### *De Muliere praegnante mortua:*

Mulier, quae praegnans mortua est, ne humetur antequam partus ei excisus sit. Qui contra fecerit spem animantis cum gravida peremisse videatur. \*)

\*) *L. 2. de mortuo inferendo. Idsinga Var. jur. civ. c. 14:* et *Car. Fr. Walch. Comm. ad legem regiam de muliere praegnante non humandâ.*

### *Lex XI.*

#### *De Opimis spoliis:*

Cujus auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Jovi fere-  
trio dari oporteat et bovem cae-  
dito: qui coepit aeris trecenta da-  
rier oportet. Secunda spolia in

Martis aram, in campo suo vetauria, utra voluerit caedito. Quei cepit aeris ducenta dari oportet. Tertia Spolia Jano Quirino, agnum marem caedito, centum qui cepit ex aere dato cujus auspicio capta, Diis piaculum dato. \*)

\*) Ita ex unicus Pomponii Laeti schedis editum locum emendarunt Scaliger, Ursinus, Perizonius, quorum posterior (in *animadvers. historicis* p. 265) in quaestionem, quid sint „*classe procincta*“ et „*opima Spolia*“ diligenter inquisivit.

*Classis procincta* hoc loco est exercitus instructus. Distinguitur inter eum cujus auspicio classe procincta capiuntur opima spolia, et eum qui cepit. Ei qui cepit, summum ducem, cujus auspiciis capta sunt spolia, aliquot centenos nummos pro varia spoliolorum dignitate haud dubie ex manubiis vel ex aerario publico dare jussit Numa.

*Opima Spolia*, quorum hic tria statuuntur genera, secundum Varronem, cui et Festus seu Verrius Flaccus accedit, proprie sunt *locupletia, opulenta, pretiosa, ampla, magnifica*. Verum quia in spoliis praecipue spectabatur apud Romanos gloria laus et honor, hisque in rebus nulla alia censebantur potiora iis, quae duci hostium ipsi detracta erant, hinc factum, ut isthaec ἐπινοώμεθα de istis spoliis proprie usurpari coeperit. Et hinc etiam absolute opima vocantur. — Opima Spolia secunda et tertia quae fuerint non satis liquet.

Caeterum adhuc notandum, jam ex instituto Romuli opima Spolia prima Jovi Feretrio offerri debuisse.

## Lex XII.

*De Rogo vino non aspergendo et de vino impuro non libando.*

Vino rogam ne respergito \*)  
Vinea si sarpta non sit, ex ea vinum Diis libari nefas esto. \*\*)

\*) *Plinius Histor. natural. Lib. XIV. c. 12.* Numae regis posthumia lex est: *vino rogam ne respergito, quod sanxisse illum propter impiam rei nemo dubitat.* Eadem lege ex imputata vite libari vina Diis nefas statuit, ratione excogitata ut putare cogerentur, alias aratores et pigri circa pericula arbusti.

\*\*) *Plutarch in Numa, p. 69.* „*Ne libes Diis ex vite non putata.*“ Vocem *sarpta* interpretatur Festus: *sarpta vinea, putata, id est, pura facta.* Sarpere enim antiqui pro *purgare* ponebant. Placabant veteres suis sacrificiis Deos et inter alia vino, quod debebat esse purum, et ut illud colligerent, cogebantur vineas suas sarpere et puras reddere. Hinc *Ovid. Lib. II, de ponto.*

*Sed prius imposita sacris altaribus igne  
Tura fer ad magnos vinaque pura Deos.*

## Lex XIII.

*De sacrificiis simplicioribus.*

— — — — \*) Pisces qui squamosi non sunt, non polluceto. Squamosos omnes praeter Scarum polluceto. \*\*)

\*) Principium legis desiderari in aprico est, ni aliam legis rubricam ponere velis.

\*\*) *Plinius Hist. nat. Lib. 32, c. 2.* Pisces marinos in

usu fuisse protinus condita Roma autor est Cassius Hemina, cujus verba de ea re hic subijciam: „Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent nei pollucerent, parsimonia contentus, uti convivia publica et privata caenaeque ad pulevinaria facilius comparerentur: ni qui ad polluctum emerent pretio minus parcerent, eaque praemergerentur.“

*Pollucere* nihil aliud est, quam piscibus libamenta Diis offerre. Festus in voc. *pollucere*: „Pollucere merces Diis quae liceat, sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ovilla, alica, sesama et oleum, pisces, quibus est squama praeter scarum. Herculi autem omnia esculenta poculenta. Caeterum haec sacrificiorum genera cum sumtuosa fuerint, prohibebantur. Erat enim scarus piscis longe rarissimus (Hoffmann).

#### *Lex XIV.*

##### *De Homicidio.*

Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto. Si imprudens et sine dolo malo occidit pro capite occisi et nece ejus in concionem arietem subjicito.\*)

\*) Festus in voc. *parici quaestores*. Parici quaestores appellabantur qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum. Nam paricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numa Pompilii regis his composita verbis: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto.*

Reliqua legis verba ex Schedis Servianis restituit atque concinnavit Scaliger.

Putant nonnulli, jam Romuli legem adfuisse hujus tenoris: „*Parricidas omnes capite puniunto,*“ quam modo confirmaverit et curatius definiverit Numa, eamque opinionem lubenter quoque amplecterer, nisi omnis plane pro hac Romuli lege probatio deficeret.

### *Lex XV.*

#### *De Incestu.*

Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. \*)

\*) *Cic. de Legib. II.* Numae legem esse, quam loco laudato refert Cicero, facile probari poterit ex illis, quae de lege Tulli Hostilii de incestu infra tradentur. Et ad hanc legem puto Plutarchum respexisse in *quaest. Rom.* dicentem: „*Olim quippe consanguineas non ducebant Romani quemadmodum nunc a materteris et sororibus abstinent.*“

### *Lex XVI.*

#### *De homine fulmine occiso.*

Si hominem fulminibus occisit, ne supra genua tollito. Homo si fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet. \*)

\*) Festus voc. *Occisum*. Occisum a necato distingui quidam, quod alterum a caedendo atque ictu fieri dicant, alterum sine ictu. Itaque in Numae Pompilii legibus scriptum esse: „*Si hominem fulminibus occisit, ne supra genua tollito,*“ et alibi: „*Homo si fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet.*“ Ex quo Festi loco fere concluderem, duas diversas Numae leges fuisse, quas jam conjungunt.

*Plin. Hist. nat. Lib. II. c. 54.* „Hominem ita exanimatum cremari fas non est: condi terra eo in loco ubi fulmine percussus erat, religio tradit.“

Membra ossaque eorum qui fulminibus icti erant, ab auguribus collecta esse narrat. *Livius Lib. X.*

## *Lex XVII.*

### *De tempore.*


Annus duodecim esset mensium \*), diesque omnes in fastos nefastosque \*\*) dividerentur.

\*) *Liv. I. 20.* Duas hic leges Numae alii formarunt e. g. *Herrmann. in histor. roman. p. 67.* Omnia incerta sunt. Romulum a Latinis acceptum annum dierum 304 Romae instituisse ferunt, qui dies per X. menses erant distributi, sed cum talis annus neque solis neque lunae cursui conveniret, Numam eum ad lunarem anni formam redegissem, quae est dierum 354 horarum 8, minorum ut vulgo dicunt 48, et mensem *Januarium* et *Februarium* addidisse. Vid. tam. *Plutarch. in Numa Scaligerum de emendat. tempor. II. p. 173,* et *Niebuhrum Römische Geschichte. P. I. p. 183 seq.*

\*\*) Addunt nonnulli „et intercisos.“ Cf. *Macrobius Saturnal. I. 16.* Curam Calendarii collegio pontificum traditam fuisse unanimi fere consensu contenditur. Caeterum fastorum Sacrorum historiam a tempore Numae usque ad decemviros narravit *Jac. van Vaassen animadvers. critic. ad fastos Romanor. sacros cura Christ. Saxii. Traj. ad Rhen. 1785. C. 2. p. 30 seq.*

## *Lex XVIII.*

### *De Collegiis et Corporibus.*



\*) *Plutarch. in Numa. p. 71.* „Divisit autem civitatem per artes tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, coriariorum, aerariorum, figulorum: reliquas artes in unum coegit, fecitque ex omnibus corpus unum, collegiaeque et concilia atque sacra cuique sectae decentia attribuit.“ Satis clara quidem haec sunt, sed ex illis legem ipsam restituere, vel etiam sententiam ejus tantum exhibere non ausim. Caeterum adfuisse legem quandam huc pertinentem nemini dubium esse potest,

### III. Leges Tullii Hostilii.

#### *Lex I.*

#### *De poena capitali atrocium criminum.*

Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent caput obnubito: infelici arbore reste suspendito. Verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium. \*)

\*) Ita exhibetur lex auctoritate *Dionys. Hal. l. c. p.* in specie *Livii Lib. I, C. 26*, qui posterior „Atrox (inquit) visum id facinus (scilicet sororicidium ab Horatio commissum) patribus plebique. Sed recens meritum facto obstabat; tamen raptus in jus ad re-

gem. Rex ne ipse tam tristis ingratiq̄ue ad vulgus iudicii aut secundum iudicium supplicii autor esset, concilio populi (advocato Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent *secundum legem* facio. Lex horrendi carminis erat: *Duumviri perduellionem iudicent* etc. Legem Romuli fuisse a nonnullis putatur vid. not. a *Drakenborg*, in ej. edit. *Livii. Perduellionem* hic, *omne atrox crimen* significare volunt,

## *Lex II.*

### *De trigeminis.*

Ut trigeminis, quoties nascerentur, alimenta ex publico, iisque ad pubertatem darentur. \*)

\*) *Dionys. Halic. Lib. III, p. 160.*

## *Lex III.*

### *De incestu.*

— — — — —  
— — — — — \*)

\*) *Tacit. Annal. XII, 8.* „Addidit Claudius sacra ex legibus *Tullii regis*, piacula quae apud lucum Dianae per pontifices danda: irridentibus cunctis quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur.” Certe non poterit placere eorum sententia, qui hunc locum de piaculariis sacrificiis propter sororicidium Horatianum institutis intelligunt. Nisi omnia fallunt hanc legis *Numae* de incestu mutationem proposuit *Tullus Hostilius*, ut incestum expiari permiserit,

#### IV. Leges Anci Marci.

De hoc rege nulla peculiaris lex exstat, licet certum asseri possit, eum plures leges dedisse. Forsitan inter leges ejus referri posset lex illa antiqua de qua in fine sub rubrica „*de legibus incerti temporis* dicetur.“ Nominatur caeterum a veteribus scriptoribus restaurator nonsolum legum Numae neglectarum, in specie legum Sacra concernentium \*), sed etiam, quod magis est, inventor *Juris feccialis* in specie sic dicti. \*\*)

\*) Haec de eo tradit *Diouys. Hal. III. p. 178.* „Convocatis deinde pontificibus, sumtos ab eis commentarios quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, *transcripsit in Tabulas et in foro proposuit legendos quibuslibet*; quae tandem vetustate abolitae sunt: nondum enim in usum erant columnae aerae, sed in quernis tabulis incidebantur tam leges quam sacrorum ritus: quae tabulae post exactos reges rursus in publicum usum revocatae sunt per summum pontificem *Gajum Papirium.*“ Non cum *Rittero ad Heinecc. histor. jur. rom. §. 17.* istas a Papirio revocatas tabulas jus Papirianum appellarem adversus auctoritatem Pomponii, qui *L. 2 D. de orig. jur.* expressim dicit, Sextum Papirium unum ex principalibus viris omnes leges regias in librum redegisse qui liber jus civile *Papirianum* dictus fuerit, non quia Papirius de suo quidquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit. Granium quoque Flaccum ad jus civile Papirianum commentarium scrip-

sise *Paulus* auctor est [in *L. 144. D. de V. S.* ex quo loco imprimis patet, *Papirium* simul cum leges regias civiles tum sacras collegisse.

- \*) *Liv. I, 32*, qui hunc regem regulas fecialibus cum hoste agentibus praescripsisse seu quod hodie vocamus „*das Kriegsceremonien*“ narrat. Res tamen nondum liquet. Aliis enim dicitur restaurator tantum juris fecialis, prout reliqui juris a *Numa* inventi. Conf. praeter scripta supra pag. 30 citata, *Laur. Arrhenii Spec. academ. de fecialib. Roman. Upsal. 1728.*

## V. Leges Tarquini Prisci.

### *Lex I.*

#### *De Senatu augendo.*

Senatus centum membris augetor, ita ut sint trecenti Senatores, iique centum ex praestantissimis plebejis sumuntor. \*)


- \*) *Dionys. Hal. III, 67. Liv. I, 35.* Mavult *Reitzius* legere cum *Livio* „centum in patres legit“ ita ut *Livius* non tam de augendo senatu, quam de munere patriciorum augendo intelligatur, cujus sententiae ob legem quae sequitur adstipulari non possum. Sed quaeri posset, an lege vel potius manu regis actum sit, plura enim et *Romulus* et *Numa* sine lege fecerunt. Prius verius videtur eam ob causam, quod, cum de mutanda reipublicae forma agatur, sequibri tempore lex semper praevaluit.

Ait *Nieupoort l. c. S. I. c. 2. §. 1.* „Hi senatores tunc quidem dicti sunt *minorum gentium*;

nam aliis senatoribus a Bruto allectis tractu temporis majorum gentium dici coeperunt: itaque conciliandus est *Tacit. Annal. XI, 25* cum *Livio I, 25*.“ Sed vix crederem hanc conciliationem tolerari posse, omnesque ex novis hominibus in senatum lectos patres minorum gentium dixerim.

## *Lex II.*

### *De duplicandis tribubus, augendo simul Vestae sacerdotio.*



\*) Fere unanimis doctorum hominum nostri temporis sententia est, hunc regem tribuum numerum duplicasse retentis caeterum nominibus veteribus, ita ut fuerint Ramnenses Titienses et Luceres primi et secundi ordinis: disceptatur tantum inter eos, an tribus et equitum centuriae synonyma haberi possint nec ne. Vid. *Niebuhr's Römische Geschichte. Th. I. p. 150* et *Wachsmuth's ältere Geschichte des Röm. Staats. p. 240*. Jura novarum tribuum non minoris pretii fuisse colligitur ex loco Festi, dicentis: „*Sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministrum sacrorum, quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos secundosque Titienses, Ramnenses et Luceres.*“ Quae omnia, si veritati nitantur, sine lege fieri non potuisse clarum est, ideoque saltim rubricam legis posuimus. Sed res ipsa nondum liquet

1) Duplicare voluisse hunc regem numerum tribuum. *Dionys. Hal. III, p. 203* quidem auctor est, idem vero asserit, augurem Attum Navium hanc regis intentionem impedisse. 2) *Livius I, 36* sibi ipsi non constans videtur. 3) Numam in instituendo Vestae Sacerdotio ad numerum tribuum non respex-

isse certum est, cum *quatuor* virgines vestales creaverit. Atque Dionys. Hal. simpliciter tradit, Tarquinium Priscum duas addidisse. Placere posset antiquior conjectura, Tarquinium Priscum *quartam* tribum addere voluisse pleno reliquarum tribuum jure, ab eo nominatam; in hoc vero ab Atto Navio fuisse impeditum, ideoque eum numerum tantum tribuum retentis veteribus nominibus duplicasse; simulque Vestae Sacerdotium ita ordinasse, ut in eo sex tribus repraesentarentur.

### *Lex III.*

#### *De aquaeductibus, viis stratis, cloacis et aedificiis.*

— — — — —  
 — — — — —  
 — — — — \*)

- \*) *Dionys. Hal. III. p. 200. Plin. Hist. nat. xxxvi. 15.* Prior narrat ipsa regia instituta in aquaeductibus, viis stratis, cloacis et aedificiis, posterior legem de cloacis innuit. Atque incurrit in oculos, haec instituta sine lege esse non potuisse, sed legis contenta amplius dari nequeunt. Forsitan hac lege etiam de aedificandi licentia quaedam definita erant, quorum amissionem eo magis dolemus, quo principia quae ea de re in jurisprudentia media inveniuntur a nobis penetrari non posse, confiteri debemus.

### *Lex IV.*

#### *De Spectaculis.*

— — — — —  
 — — — — \*)

- \*) *Dionys. Hal. III, p. 200.* „Locos Spectaculorum

in triginta curias distribuit, sua cuique curiae assignata portione; ut curialium quisque suo loco spectaturus sideret.“ Haec sine lege fieri non potuisse in aprico est.

## VI. Leges Servii Tullii.

*Servius Tullius* praecipuus Legum lator *Tacito Ann. Lib. III, c. 26* dicitur: restitutis enim plerisque Romuli et Numae sanctionibus, ipse novas tulit \*). Laudant eum scriptores Romani conditorem omnis in civitate discriminis ordinumque, quibus inter gradus, dignitatis fortunaeque aliquid interlucet. Censum instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim ut ante sed pro habitu pecuniarum fiebant. *Liv. Lib. I. c. 42.*

Primum locum in legislatione Tullii occupant ejus

### *Leges L.*

*de contractibus et injuriis,*

quae plane desiderantur. \*\*)

Leges peculiare hujus regis hae commemorari solent.

- \*) Tulit autore *Tacito* „leges quibus et reges obtemperarent“, quod ad foedera cum latinis populis pertinere male intelligit *Jo. Fr. Hombergk zu Vach* in *Diss. de legibus Servii Tullii quibus et ipsi reges obtemperarent*. Marburgi 1741.
- \*) *Dionys. Halic. IV, p. 218*, „deinde curiatis comitiis leges sanxit de contractibus et injuriis: erant autem illae L, quas nunc non est necesse ut enumerem.“ Doctrinam juris Romani de contractibus et injuriis ex his legibus manare mihi persuasum habeo.

### *Lex I.*

#### *De quatuor urbis tribubus.*

Ut qui in quatuor istarum tribuum una qualibet habitarent, ceu vicani, nec alium habitandi locum caperent, nec alibi nomina in delectu militum darent, nec tributa in res bellicas alibi conferrent, aliave munia quae singuli reipublicae impendere tenentur, alibi obirent.

Ut tribuni singulis tribubus praepositi sciant quam civium quisque incolat domum.

Ut viciniae sacella lignea dedicarent genis compitalibus, et quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus.

Sacrificiis qui compitalium tempore pro vicinis sacra facerent, non ingenui, sed servi ministrent. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 219 et 220.*

## Lex II.

## De Pagis.

Ut qui pagis praesunt magistratus sciant agrestium qui in unum eundemque pagum contributi essent nomina, et ex quibus se alerent praediis.

Ut per singulos arae dedicarentur diis tutelaribus iique frequenti coetu et communibus sacrificiis quotannis colerentur. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 220.* Ipsorum pagorum autor hic rex fertur. Sic enim ea de rescribit *Dionys.* „Caeterum Tullius agro in quocunque portiones divisio, in montanis et *natura munitis* tumulis tuta agrestibus paravit refugia, quae *pagos* dixit Graeco vocabulo. Eo se omnes ex agris recipiebant sub adventum hostium, et ibidem plerumque pernoctabant.“

Vulgaris est opinio, Servium Tullium urbem in IV. tribus, agrum vero in XXVI., seu ut alii volunt in XXXI. divisisse, eum in finem, ut omnis simul cum veterum tribuum (ut putat *Wachsmuth. l. c. p. 228*) tum curiarum distinctio cessaret. Atque ex ista nova divisione tribus urbana nil aliud est ac quod hodie vocamus *ein Stadtquartier*, tribus vero rustica pagus cum agris ad illum pertinentibus.

## Lex III.

## De Professione.

Ut quisque civis veram bonorum suorum, quae qualiaque essent, aestimationem jurejurando probaret, probatumque ad regem deferret. Genus, item aetatem,

nomina uxorum, liberorum familiaeque omnis: quae cujus generis praedia; quis servorum pecudumque numerus; quae quaeliaque fundorum instrumenta singulatim sine dolo malo profiteretur: quaque urbis in parte, quove extra urbem loco habitaret, suasque res possideret, sancte indicaret. Qui secus fecisset, bonis publicatis civitatem amitteret, caesusque virgis sub hasta veniret. \*)

\*) *Dionys. Halic. Ant. Lib. IV. p. 221.*

#### *Lex IV.*

#### *De Classibus pro Censu.*

— — — — — — — — —  
 — — — — — — — — —  
 — — — — \*)

\*) *Dionys. Hal. IV, p. 221.* „Peracto censu cum ex scripto et numerum ipsorum et opes cognovisset, commentus est institutum longe prudentissimum et reipublicae saluberrimum. — — *Unam selectam ex omni numero partem, cujus census erat maximus nec minor centum minis, in octuaginta centurias digestam arma habere imperavit, clypeum Archivum, loriam et galeam ex aere, et ocreas; tela, hastam et gladium. Ex his bipertito divisus quadraginta centurias fecit juniorum qui foris bella gererent; totidem seniorum, qui manerent ad urbis custodiam: haec prima classis fuit: cujus juvenus primum semper locum tenebat in acie, totumque agmen propugnabat. Ex reliquis deinde *aliam exemit classem, cujus census erat intra decem millia drachmarum**

usque ad *minas septuaginta quinque*: ex his conscriptae viginti centuriae: eadem arma gestare jussi, nisi quod loricae illis ademptae et scuta pro clypeis data, hic quoque nati supra quadragesimum quintum annum, a militari aetate divisi; centuriae decem juniorum qui pro republica pugnarent; totidem seniorum ad servanda moenia: huic secundae classi post propugnatores locus dabatur in acie. *Tertiam* classem conflavit e reliquis, quorum census ut ad *septies mille et quingentas drachmas* non perveniebat, ita *quingenta* minis haud erat inferior, horum armaturam non modo thorace minuit, ut secundae classis, sed etiam ocreis. In hac etiam classe viginti constituit centurias, et facto eodem quo in superiori aetatis discrimine decem centurias junioribus, totidem assignavit senioribus, ii locum et stationem in acie tuebantur post proximam propugnatoribus classem. Ex reliquis rursus cum detraxisset qui minus quinque millibus drachmarum in bonis possiderent, usque ad viginti minas *quartam* classem fecit, aequae *viginti* constantem centuriis; decem aetate vigentium; totidem maturitate jam egressorum; quemadmodum et priores distinxerat, arma his imperata scuta hastae et gladii; locus assignatus in postrema acie. In *quintam* classem rejecti sunt, quorum facultates censae erant inter viginti quinque minas et duodecim cum dimidia. In hac triginta erant centuriae pro aetatis ratione divisae pariter; quindecim seniorum; juvenum totidem: his imperatum ut cum jaculis et fundis militarent extra ordines. Jussae etiam armatos sequi quatuor inermes centuriae; duae ad armorum et machinarum, aliarumque bellicis usibus inservientium rerum fabricationem: totidem tubicinum et tympanistarum, quique aliis instrumentis accendendi belli signa canerent. opifices secundi census ordini addebantur, factoque aetatis discrimine senior illorum centuria seniores secundae classis centurias sequebatur; ju-

nior juniores. Tubicines et tympanistae quartae classis pars erant, quorum itidem una centuria seniorum erat; altera juniorum. Centuriones e singulis delecti, ut quisque erat virtutis in belli spectatissima; qui suas quique centurias imperatis peragendis assuefaciebant. His ordinibus explebatur pedester exercitus legionariorum pariter et levis armaturae militum: caeterum equitum delectum habuit e maximi census civibus et genere nobilibus, quos in *octodecim* digessit centurias easque primis illis legionariorum octoginta centuriis attribuit: his quoque illustrissimi centuriones praeerant. Reliquos cives quorum census minor fuit duodecim minis cum dimidia, sed numerus quam superiorum major, omnes in unum ordinem congestos immunes fecit a *tributis et militia*.“ Et rel. — Compara cum hac Dionys. relatione *Liv. I, 44, XXIV, 11, Gell. VII, 13, et XVI, 10*. Quae de hac Servii Tullii institutione nuper disputarunt duumviri doctissimi *Niebuhr. l. c. I, p. 280 seq. et Wachsmuth. l. c. p. 228 seq.* digna hercle sunt, ut animo perpendantur. Nos tam amplam institutionem sine lege fieri non potuisse putamus, ideoque saltem rubricam legis posuimus.

*Quinque*, etiam *sex* classes civium constituisse Servium Tullium dici poterit, secundum modum quo res representatur. Videntur nobis omnes, qui vulgo in sexta classe collocantur, infra classem fuisse, quamquam verbum „*classicus*“ a Gellio ad primam classem in oppositione reliquarum classium referatur, ita ut infra classem sint omnes, qui prima classe non erant comprehensi, ideoque quinque tantum classes statuimus. In his qui erant *infra classem* (vulgo in *sexta classe*) *Gellius proletarios et capite censos* distinguit, prout *parvo* tamen *aere* aut *nullo* plane censebantur. Illos his honestiores dicit, quod asperis tamen reipublicae temporibus, cum juventutis inopia esset, in militiam

tumulturiam lecti, armaque iis sumtibus publicis praebita, capite censi vero plane immunes fuerint, primo a Cajo Mario contra omnem ordinem milites scripti.

*Lex V.*

*De civium numero annuatim in tabulas referendo.*

Ut quisque pater familias pro nascentibus quidem ad aedem Junonis Lucinae; pro sumentibus vero togam virilem ad Juventutis; pro defunctis denique ad Libitinae certas stipites penderet; easque quot annis aeditui in tabulas referrent, ex quibus puerorum puberum ac mortuorum certus numerus singulis annis cognosceretur: utique in suis pagis pagani stipes certas in singula capita paganalibus ad sacrum conferrent, ex quibus hominum numerus per sexus conditiones atque aetates quotannis colligeretur. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 219.*

*Lex VI.*

*De libertinorum censu.*

Uti in tribus urbanas atque jus civitatis servi a civibus romanis manumissi, qui vellent, adsciscerentur, et libertini ad omnia plebejorum admitterentur munia, et ut manumissi jam adipiscerentur civitatem si

cum ingenuis bona in censum retulerint, prout servi libertatem et civitatem simul, si jussu vel scientia dominorum nomina eorum in tabulas censuales relata fuerint. \*)

\*) *Dionys. Halic. Lib. IV. p. 226.* Desunt verba „et ut manumissi — fuerint“ apud collectores legum regiarum omnes, sed ex relatione Dionysii fere necessario sequuntur. Et quidem *Servius Tullius* 1) videtur autor civitatis libertinorum, modo bona in censum cum ingenuis referre non recusaverint. 2) Autor manumissionis per censum ipsius, seu manumissionis tacitae.

## *Lex VII.*

### *De judiciorum differentia.*

Laesae reipublicae crimina rex ipse judicet: privatarum personarum querelae ad alios iudices deferantur. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 228.* De regia potestate detraxit dimidium. Cum enim priores reges ad se revocarent judicia omnium litium, et de omnibus criminibus, tam ad privatas injurias quam ad rempublicam pertinentibus, suo more decernerent, ille separavit haec, laesaeque reipublicae se fecit iudicem, privatorum personarum querelas ad alias legavit iudices, quibus leges a se conditas seu limites ac regulas praescripsit, quas sequerentur in judiciis. Desunt hae regulae, quibus si haberemus facile edoceremur, multa jam regum tempore existisse quae dein in leges XII. tabul. migrarunt: forsitan huc pertinent sanctiones in tabula secunda Leg. XII. tabulae.

*Lex VIII.**De civium libertate.*

Ne quis ob debitum foenus in vincula traheretur; neve foeneratoribus jus esset in libera corpora, sed debitorum contenti facultatibus essent. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 215.* Si vis sequi ordinem chronologicum, haec lex prioribus certe antiquior est. Sed promiserat tantum l. c. Servius Tullius legem ejusmodi, nondum dederat: lex itaque ad leges incerti temporis referenda est. An dederit, equidem nondum constat. Ex dura ea sanctione, quae dein in leges XII. tabular. relata est, fere colligi posset; nostrum a patriciis tantam contradictionem expertum esse, ut a lege ferenda eum abstinere oportuerit.

*Lex IX.**De liberis parentes verberantibus.*

Si puer parentem verberavit et ille plorasset, Diis parentum sacer esto. \*)

\*) Vid. notata ad Legem XVII. Romuli, et mihi quidem videtur haec lex praecipue ad emancipatos pertinuisse, cum respectu eorum qui adhuc in patria potestate detinebantur adeo severa lege opus non fuerit, quia jam patria potestas sufficebat ad puniendos liberos qui tale quid in parentes commisissent. Sed etiam ad eos qui erant in patria potestate lex vires extendere poterat, patre scilicet a jure puniendi abstinente et filium tantum domo expellente.

## VII. Leges Tarquinii Superbi.

Hunc regem libidine et animi impotentia usum esse apud veteres scriptores legitur pro legibus, quas fere e republica sustulit. *Servii* saltim *Tarquinii* leges abolevit auctore *Dionys. Hal. IV. p. 245.* Unam tamen ejus legem refert *Merula* hujus tenoris; „*Uti sacrorum causa quotannis semel in montem Albanum, Romani latinique nominis populi a Supremo magistratu romano cogerentur; Jovi latiali consensu communi sacra facturi, ferias et mercatus celebraturi, et una epulaturi.*“

---

*Leges quae sub regibus latae circumferuntur, incerti tamen temporis et auctoris,*

Mentio fit apud collectores legum regiarum duarum legum sub regibus quidem latarum, sed de quibus non constet, quis earum autor sit, et quo tempore latae fuerint. Hujus generis censentur

1) *LEX HORATIA*, qua auctore *Gellio N. A. VI, 7.* Tarratiae, virgini vestali de republica bene meritae, multi hono-

res dati sunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi fuit, testabilisque una omnium feminarum ut sit. Conf. quoque *Plin. Hist. nat. XXXV, 6.* et *Varron. de Legib. V. add. Saligerum Conject. in Varron. p. 92.* — Sed si fides *Plutarcho in Poplicola p. 101,* haec lex lata est primum post reges ejectos, et virgo vestalis non Tarratia sed Tarquinia appellabatur.

- 2) *VETUS LEX* cujus mentionem facit *Nonius Lib. XII. de doctorum indagine* his verbis;

„Nubentes veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solere pervehere, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causam marito dare; alium, quem in pede haberent, in foco larum familiarium ponere, tertium quem in Sacciperione condidissent, compito vicinali solere rezonare — — quos ritus Varro de vita populi romani diligentissime percucurrit.“

Ad hunc Nonii locum diligenter commentatus est *Herrm. Cannegieter Diss. philol. jurid. de veteri lege Romana cujus meminit Nonius.* Franeg. 1783 et in *Fellenberg. Jurispr. ant. Tom. II. Nr. 12.* qui legem e rituali-

bus Etruscorum libris mutuatam esse putat. Legem regiam esse mihi persuasum habeo et a Tarquinio Prisco latam, de quo omnes veteres scriptores affirmant, eum multa ex Etruscorum disciplina in rempublicam invexisse.

---

## B. Senatusconsulta et foedera sub regibus.

Unius tantum *Senatusconsulti* meminit *Dionys. Hal. Lib. II. p. 110* in bello cum Sabinis sub Romulo facti, cujus tenor notari non meretur.

Varia inter *foedera* tempore regum icta, nostram tantum attentionem provocat foedus inter Romanos et Sabinos regnante Romulo, quo teste *Dionys. Hal. l. c. p. 111* sancitum est: „Ut Romae pari potestate, parique honore regnarent Romulus ac Tatius: ut urbs deductum a conditione servaret vocabulum, ut cives singuli quidem *Romani* sicut ante appellarentur, universi autem a Tatii patria

communi *Quirites* \*), ut Sabinis jus civitatis romanae daretur, quicumque id cuperent, utque hi cum suis sacris reciperentur in tribus et curias.“

\*) De appellationis „*Quirites*“ origine idem affirmat *Livius I, 13*. Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, *Quirites* a *Curibus* appellati.“ Errant qui appellationem *Quirites* a Romulo deducunt, post mortem „*Quirinus*“ appellato. Nam §. 2. *Inst. de jur. nat. et gent. ad quem* provocant, fons certe maxime impurus est, et *Florus Hist. I, 1*. cui similiter testimonium denunciatur, non nisi haec habet. Romulum post mortem *Quirinum* appellatum. Omnia mihi decidere videntur haec Festi: „*Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque: Populo romano Quiritibusque, quod est curensibus.*“ Idem vero in vocib. *Quirina*: „*Quirina tribus a Curensibus Sabinis appellationem videtur traxisse.*“ *Quirinalia*: „*Quirinalia mense Februario dies quo Quirino fiunt Sacra, idem stultorum feriae appellantur quod quidam, qui suorum fornacalium sacrorum ignari, eo potissimum rem divinam faciunt.*“ *Quirinalis collis*: „*Q. c. qui nunc dicitur olim aegonus appellabatur ante quam in eum commigrarent Sabini Curibus venientes post foedus inter Romulum et Tatium ictum a quo hanc appellationem sortitus est etc.*“ Denique *Quirites*: „*Quirites dicti Sabini a Curi dea cui aqua et vino sacra facere soliti erant, quos tamen quidam a curiis dictos volunt in quibus ab his ei Sacra fiunt, cui opinioni Verrius adversatur, ab ejusdem autem Deae nomine videntur item Cures Sabinas hastas appellatae, quia ea gens armis erat potens, nunc et Sabini et Romani 'populi singulare usurpatur nomen, ut inditio est praeco,*

qui in funeris indictivis ita pronuntiare solet:  
*Illus Quiris leto datus. Quirites autem  
dicti post foedus a Romulo et Tatius percussum,  
communem et societatem populi factam indi-  
cant,*“ sibi semper constans est.

---

II.

JURIS PAPIRIANI,

QUOD CIRCUMFERTUR, FRAG-  
MENTUM.

De jure Papiriano supra pag. 43 scitu  
necessaria tradita sunt. Plura qui cog-  
noscere cupit adeat praeter alios priores  
*Christ. Frider. Glückii* doctissimam tra-  
ctationem *de jure civili Papiriano*. Hal.  
1720. 8., et insert. *Ejus Opusc. juridic.*  
Erlang. 1786. 8. fasc. II., cui addenda  
*Carol. Einerti* Exercitatio *de Papirio*  
*et Jure Papiriano*. Lipsiae 1798. 4. Frag-  
mentum circumfertur hujus juris, idque  
*unicum*, quod si genuinum esset, ex eo  
probatio saltim posset instrui, Papirium  
non leges regias proprie *collegisse*, ut vult  
*Pomponius*, ad eas potius *scripsisse*.

Debetur fragmentum, cujus aequae men-  
tio facta est, *Macrobio Saturnalium*  
lib. III. c. 11, estque hujus tenoris:

„In Papiriano enim jure relatum est,  
arae vicem praestare posse mensam di-  
catam: *ut in templo, inquit, Junonis*  
*Populoniae augusta mensa est: nam-*

que in fanis alia vasorum sunt et sacrae suppellectilis, alia ornamentorum: quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiantur, quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae libationesque et stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt clypei, coronae et cujuscemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore quo delubra sacrantur. At vero mensa arulaeque eodem die quo aedes ipsae dedicari solent. Unde mensa hoc ritu dedicata in templo arae usum et religionem obtinet pulvinaris.

Edidit illud adhuc *Hoffmannus* (*Histor. Jur. Rom. Tom. II. p. 63*) tamquam fragmentum juris Papiriani genuinum, sed fortissimis argumentis evicit doctissimus *Wesselingius* (*Observ. lib. I. c. 4*), quae a *Macrobio* referuntur non ex Papirii libro ipso, sed ex Granii Flacci commentariis ad jus Papirianum desumpta esse.

Ex hujus Granii Flacci, de cujus vita et scriptis videsis *Gregor. Majansium* in *Commentariis ad XXX. Ictorum fragmenta. Genev. 1764. Tom. II. p. 129 seq.*

commentariis praeter ea, quae in *L. 144 D. de V. S.* ex illis referuntur tantum, aliud adhuc fragmentum superesse visum est viro doctissimo *Petr. Paul. Justi* in *Specim. Observat. critic. in quibus varia veterum scriptorum, nec non juris Romani loca explicantur aut emendantur.* Viennae 1765, cap. 11, cujus verba ipsa hic referre non a re alienum erit. Ita vero ille.

„Quantum ad antiquitatem noscendam scriptorumque loca intelligenda adjuventi praebeant vetera scholia, comperitum est inter eruditos. Ejus rei insigne argumentum daturi nunc sumus; quod quidem eo lubentius adgredior, quia ad historiam juris romani illustrandam non parum uti confido, conducet. Edidit vir immortalis, et nunquam sine honoris praefatione nominandus *C. Barthius* ex Mss. veteris scholiastae Virgiliani fragmenta quaedam in *XII. Aeneidos adv. Lib. XXXIII, c. 13, p. 1527* seq. optimae sane frugis et talia, ut merito dira omnia iniquissimi rasis manibus, cujus audacia reliqua interierunt, imprecetur vir magnus. Inter alia profert p. 1528 ex vetusto illo commentatore haec in versum 234.

— — *Superos, quorum te devovet aris.*  
*Notandum, quod meliorem partem prae-*  
*tulit. Nam cum de omnibus Diis lo-*  
*cutus esset in sacrificio, hic superos*  
*praetulit. Et Jupiter est foederum*  
*praeses. \* Elaus scribit Numam Pom-*  
*pilium, cum sacra Romanis conderet*  
*voto impetrasse, ut omnes Dii falsum*  
*juramentum vindicarent.*

Fragmentum hoc quantivis pretii turpis  
 macula deturbat, ut quis facile perspicit.  
 Quis enim est iste *Elaus*? de quo gravis-  
 simo mendo eluendo plane desperat  
*Barthius*. — Videor — mihi non invitis  
 plane gratiis, ex quo scriptore hoc addu-  
 cat scholiastes odorari. Etenim ejecto  
 spurio illo et in toto Latio inaudito *Ela*  
 minima mutatione pro *Elaus*, *Flaccus*  
 scribendum esse contendo. Est hic *Gra-*  
*nus Flaccus* qui ad Jus Papirianum,  
 leges nempe regias, commentatus est.  
 Et rel.

### III.

## LEGES

SENATUSCONSULTA PLEBISCITA ET-  
CET. AB EJECTIS REGIBUS USQUE  
AD LEGES XII. TABULARUM.

A regibus ejectis usque ad XII Tabulas, legislatio Romana per populiscita, plebiscita, Senatusconsulta et decreta consulum fuit divisa, et maxime, quod vulgo dicunt, in provisoriiis ordinationibus substitit. Ex his quibuscunque sanctionibus, eas tantum recepimus, quae ad intelligendum tum statum publicum tum privatum rei romanae faciunt: reliquas plane omisimus. Similiter hic desiderantur foedera, nostra aetate nullius momenti, praeter unum, cujus contenta ex parte scopo nostro convenire visa sunt. Ordine chronologico, quantum fieri poterat, omnia exhibita sunt, eique rei praesertim cura data est, ut legum XII Tabularum, quae sequuntur, studium quodammodo praeparetur.

---

Leges senatusconsulta plebiscita  
etc. ab ejectis regibus usque  
ad Leges XII. tabular.

A. V. C. 244.

I.

*Lex Junia prima.*

Ut exulent Tarquiniis urbe Roma totiusque imperii finibus cum omni progenie: nec ulli prorsus liceat pro Tarquiniis quidquam vel dicere vel facere, sitque capitalis qui contra fecerit. \*)

\*) *Dionys Halic. IV. p. 237*, qui haec legem curiatam fuisse refert.

2.

*Lex Junia secunda.*

Ut committatur rerum summa annuo magistratui in duobus viris, in comitiis centuriatis creandis cum regia potestate ad eamque spectantibus insigniis, hisque duo quaestores addantur ab illis eligendi. \*)

\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 156. Liv. I. 60.* „Duo Consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis

ex commentariis Servii Tullii creati sunt Luc. Jun. Brutus, et Luc. Tarq. Collatinus. *Tacit. Annal. XI, 22.* Quaestores etiam tum regibus imperantibus instituti sunt: quod lex Curiata ostendit a L. Bruto repetita, mansitque consulibus potestas deligendi etc. *L. un. D. de offic. quaest.* — Quaestores non simul cum consulibus creatos esse Pomponius autor est *L. 2 §. 22. D. de or. jur.* Deinde cum aedium populi auctius esse coepisset, ut essent qui illi praessent constituti sunt Quaestores, dicti ab eo quod inquirendae et conservandae pecuniae creati erant. Vid. infra Legem Valer. octavam. De quaestoribus quidem a Bruto sancitum esse puto, quaestores vero ad legem Bruti vel plane non institutos, vel institutos quidem, sed e lege Valeria in perpetuum, et a consulibus independentes creatos. Atque certe nulla loci apud Tacitum emendatione opus est, quam Anonymus quidam ausus est in *Miscellan. Observ. in auctores veteres et recentior.* Vol. X. Tom. 2. p. 257 seq. et in *Opusc. jurid. a Püttmanno collect.* p. 87 — 136. Cf. *Chr. Ludw. Crell de Junio Bruto reipublic. rom. auctore.* Lips. 1721. 4. Non omnia regum insignia consulibus licuisse certum est. Conf. *F. H. Mylii D. de insignibus Consulum rom.* Lips. 1749. 8.

## 3.

*Decreta Consulum Lun. Jun. Bruti et  
Luc. Tarq. Collatini.*

## a.

Ut alterum consulem duodecim lictores cum securibus praecederent, alterum duodecim cum solis fascibus, collegaeque

singulis mensibus secures vicissim sibi traderent. \*)

\*) Factum esse hoc decretum ad minuendum timorem populi in consulibus plures reges conspicientis, *Dionys. Hal.* autor est.

## b.

Ut leges Tullii de *contractibus* humanae admodum et populares, quas in univ-  
ersum Tarquinius sustulit, in usum re-  
vocarentur. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c.* Leges regiae simul cum dignitate regiae abolitae non erant, ut nonnulli ex male intellecto loco Pomponii *L. 2. §. 3. D. de Orig. jur.* putant. Sed plures Tarquinius aboleverat; ut pro arbitrio tum regnaret tum iudicaret.

## c.

Ut sacrificia quae tam in urbe quam agris communi coetu ab urbanis et paganis fieri solebant, rursus ea diligentia qua sub Tullio peragerentur. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c.*

## d.

Quoniam reges multorum magnorum-  
que bonorum reipublicae auctores esse videantur, propterea, ut quantisper urbs staret, regii imperii nomen conservaretur, ut pontifices et augures designarent unum

e senioribus quem maxime idoneum, qui praeter cultus divini curam nulli alii praesset muneri: isque ab omnibus militaribus et civilibus muneribus immunis vocaretur *rex Sacrorum*. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c.* Hic *Sacrorum rex* seu *rex sacrificulus* creatus est, ut ea *Sacra* perageret, quae antea ab ipsis regibus peragi solebant (*Liv. XXIV, 6*) unde quoque nomen suum nactus est: sed ne tanto nomine insolesceret pontifici subiectus fuit, nec magistratum gerere, aut cum populo ei agere licuit, unde postquam *sacra* peregisset, se quasi fuga ex comitis propiebat *Plutarch. Quaest. Rom. p. 62*. Creabatur e patriciis. Uxor etiam ejus regina dicta est, quae et ipsa *sacra* quaedam faciebat et rel. *Nieupoort Ant. Rom. S. IV. c. 2. §. 11.* — Sed quae *Sacra* fuerint, quae rex obibat, non constat. Numam praecipue obiisse quae ad *Dialem flaminem* pertinent, autor est *Livius. I, 20.*

e.

Ut populo jus comitiorum et suffragiorum *de rebus maximis* redderetur, omniaque juxta priscas consuetudines peragerentur. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c.* *Tarquinius* omnia populi jura a *Romulo* caeterisque regibus illi tributa sustulisse certum est. Facta est hoc decreto consulum restitutio in eum statum, in quo fuit jus populi tempore priorum regum. *Henr. Jo. Arntzenii Miscell. c. 8.* Caeterum mirandum, haec omnia solis decretis consulum, non legibus effecta esse,

nisi velis statuere, consules primum decrevisse, populum dein sancivisse,

## 4.

*Leges Valeriae octo. \*)*

## I.

Ut Consules *extra urbem* tantum securibus uterentur, *intra moenia* contenti sint solis fascium insignibus. \*\*)

\*) Non confundendae sunt hae leges *Valerii Publicolae cum legibus Valerii Horatii* post duodecim tabulas primum latis.

\*\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 292.*

## II.

Ut si quis magistratus unum aliquem civem *capite plectere* aut *flagris caedere* aut *pecuniis mulctare* velit, liceat privato provocare ad populi iudicium; nec interim magistratui sit permissum in eum animadvertere, donec populus suffragiis de provocatione statuerit. \*)

\*) Hujus legis mentionem faciunt *Liv. II, p. Dionys. Hal. l. c. et Plutarch. in Public.* Nulla caeterum legislatoris mentione facta *Pomponius in enchirid. (L. 2. §. 16. D. de Orig. jur.)* scribit, „*Exactis deinde regibus Consules constituti sunt duo; qui tamen, ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset: neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi: solum relictum est illis, ut coercere possent, et in vincula*

duci juberent." Saepius repetita fuit haec lex, semper tamen a gente Valeria. Cf. caeterum *Fr. C. Conradi jus provocationum ex antiquitate Romana erutum.* Lips. 1723. c. 2. et in *Collect. Dissert. histor. antiq. juridic. p. 265. seq.*, item *Ejus M. Horatius ad Populum provocans in numm. gentis Portiae.* Lib. 1. Parergor. Nr. 3.

### III.

Ne quis Romae magistratum gereret injussu populi, mortis poena proposita, si quis contra faceret, et impunitate concessa, si quis talem occideret. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c.* Et haec quoque lex repetita fuit a Valerio Horatio.

### IV.

— — — — — \*)

\*) *Plutarch. in Publicola p. 103.* Leges deinde tulit — — — quae succurrit inopibus atque vectigali cives sublevavit, effecitque, ut acrius incumberent opificiis,

### V.

Ut qui *consulibus* non parerent multam solverent quinque bobus et duabus ovibus valentem. \*)

ä) *Plutarch. l. c.* De legibus romanorum mulctatiis, quarum haec prima est, argumentum optime exposuit *Christ. Crusius Comment. De Originibus pecuniae a pecore ante nummum signatum.* Petropoli 1748. 8.

## VI.

Ut *indicta causa* interficeretur qui *regni occupandi* inisset consilia et percussori impunitas daretur, si *indicia sceleris* demonstrasset. \*)

\*) *Plutarch. l. c.*

## VII.

*Servi*, qui ejusmodi consiliorum *delatores* exstiterint, ut post probatam delationem *in libertatem* non tantum *vindicarentur*, sed *jure etiam civitatis* condonarentur. \*)

\*) Nullibi apud veteres expressa hujus legis mentio fit: narratur modo ab illis, Valerium Publicolam ad populum tulisse, ut Vindicius proditionis in favorem Tarquiniorum delator in libertatem non solum vindicaretur, sed jure etiam civitatis donaretur atque hoc modo *manumissionem per vindictam* coepisse. *Plutarch. l. c.* — Sed ista in libertatem vindicatio, qua servus privatus a republica vindicabatur, ut libertate, simul jure civitatis donaretur, sine lege fieri non potuit, vixque credendum, talem legem in gratiam unius Vindicii latam esse.

## VIII.

*Aerarium* ut esset in posterum in *templo Saturni*, *populusque* creet *duos quaestores* pecuniae publicae custodiendae tractandaeque gratia. \*)

\*) *Plutarch. l. c. p. Dionys. Hal. V. 34.* Accesserunt his quaestoribus patriciis dein duo alii adhuc plebeji. *Liv. VI, 43.* De quaestorum dignitate et juribus caeterum confer *Nieupoortum Antiq. Rom. Sect. II, c. 7.*

## 5.

*Senatusconsultum de creando dictatore  
ad  
eludendam legem Valeriam factum,  
et  
a populo confirmatum.*

Largium et Coelium consules, et si quis alius magistratu aliquo aut publico munere fungeretur potestatem deponere: unum autem virum a senatu lectum habere semestrem potestatem rerum omnium amplioem quam sit Consul. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 334.* Qui simul novae potestatis accuratorem descriptionem exhibet. Plura de dictatore romano variisque eum creandi caussis vide praeter *Nieupoortum Antiq. rom. Sect. II, cap. 8,* apud *Jo. Jensem in ferculo litterario, p. 98 seq. H. Verheyckium in praefat. ad ej. edit. Eutropii Lugd. Bat. 1762 et M. C. Curtium Pr. 1 et 2 de dictatore Romano. Marb. 1783 4.*

## 6.

*Pacta inter Senatum et plebem de tribunis et aedilibus plebis creandis.*

*Ut annui ex ordine plebejo magistra-*

tus creentur iique *quinque*, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi ut plebejis injuriam et vim patientibus succurrant, nec patiantur quemque jure suo fraudari.\*)

Ut *quotannis* duo e plebe viri designentur qui tribunis subministrent quidquid opus sit, et lites quas tribuni eis commisserint judicent: aediumque sacrarum, locorum publicorum, atque annonae curam habeant. \*\*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 410. Liv. II, 32.* Lege *Publilia* creatos esse tribunos vulgo circumfertur, sed neque apud Dionysium neque Livium talis legis mentio fit, solus tantum pacti conventi. Conf. caet. praeter *Nieupoortium Ant. rom. Sect. II, c. 6, Ferratium Lib. II, epistol. X, pag. 112 — 115, d'Arnaud Variar Conject. Lib. I, c. 21. Henr. Jo. Arntzenium Miscellan. c. 12. Jo. van Vaassen. Animadversion. ad fastos Romanor. sacros. p. 383. seq.*

\*\*) *Id. eod. p. 411.* Origo aedilium plebis. Uterque magistratus plebejus primum creatus est comitiis curiatis, dein tributis. Aediles *plebis* antiquiores sunt aedilibus *patriciis* demum a. u. c. 388 creatis. Cf. *Heinecc. florum sparsio ad edict. aedilit.* Hal. 1738. p. 1—34.

## 7.

*Plebiscitum de tuendo jure tribunorum  
vulgo Lex Icilia de mulcta.*

Ut nemo concionanti ad populum tribuno quidquam in contrarium diceret,

neque dicentem interpellaret. Quod si fecerit det, si id petatur, vades tribunis mulctam solvendi quae ei irrogabitur. Qui vades non dederit, caput ejus ut bona sacra sint, mulctae autem certatio apud populum fiat. \*)

\*) *Dionys. Hal. VII. p. Apud Livium. II, c. 32,*  
hujus legis nulla mentio fit.

## 8.

*Lex Junii Bruti Sacrata, seu potius plebiscitum de sanctitate tribunorum.*

Tribunum invitum nemo, ut unum e vulgo quidquam facere cogito; nec verberato, nec alium verberare jubeto: nec occidito, nec occidere jubeto. Si quis contra fecerit, sacer esto; et bona ejus Cereri dicata sunt, et qui eum occiderit, purus a caede esto. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 410. Liv. II, 33. Lex* | *Sacrata* dicitur qua sacra- tur caput ejus, qui legem violaverit, seu referente Dionysio: Lex cui jusjurandum civium accessit, se et posteros ea lege in sempiternum usuros addita imprecatione, ut ejus observatoribus superi et inferi essent propitii: transgressoribus vero, a diis et seimonibus accideret contrarium, tamquam gravissimo obstrictis piaculo,

*Foedus inter Romanos et Latinorum  
populos.*

Romanis et Latinorum populis omnibus mutua pax esto, dum caelum et terra eandem stationem obtinent: et neutri alteris bellum inferunto, nec aliunde hostes inducunto, aut bellum inferentibus iter tutum praebento; et bello infestatis operam ferunto totis viribus, bellique praedam ac spolia ex aequo dividunto. *De privatis contractibus lites iudicio dirimentor intra decem dies, in foro ejus populi, ubi contractus is factus fuerit.\*)*

\*) *Dionys. l. c. p. 415.* Licet hoc foedus in sua parte prima nullius hodie ponderis sit, in posteriori tamen omnem omnino attentionem meretur, cum prima lex sit quae *forum contractus* definivit.

*Senatusconsultum de feriis latinis.*

Ut feriis latinis dies *tertius* adderetur. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 425.* Qui notat, duos tantum dies harum feriarum ab initio fuisse, primum consecratum a rege Tarquinio, quo tempore divicit Etruriam; alterum a populo additum, quando pulsus regibus libertatem adeptus est. Tunc vero tertius accessit ob plebis quae secesserat reditum. Ipsas quod attinet has ferias Jupiter Latialis a Tarquinio

superbo consecratus erat, ut ab omnibus Latii populis, inter quos erant praecipui Romani, coleretur, cum ferias Latinas in monte Albano celebrarent, et ex tauro immolato quisque populus (erant autem populi quadraginta septem) partem acciperet.

## 11.

*Senatusconsultum de Iudicio Plebis.*

Ut plebi potestas sit iudicandi de omnibus, immo patriciis, qui corporibus plebejis et libertati plebejæ injuriam facere conati fuerint. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 464.* Triplex fuisse videtur Senatusconsultum, primum de *Marciano iudicio*, dein *repetitum* et quidem *generale* factum, cui successit *Scutum de ferendis suffragiis*, ut suffragia non amplius sint penes centuriata sed penes comitia curiata. Res tamen non liquet, ideoque exhibuimus Senatusconsultum in forma qua nobis optime probatur.

## 12:

*Senatusconsultum de agrorum divisione.*

Ut e consularibus creentur decemviri nati maximi, qui finito agro publico pronunciarent, quantum ejus locandum esset, et quantum dividendum populo: caeterum sociis jus civitatis adeptis, si quis postea ager communi militia acquireretur, suam cuique populo portionem ex foedere dandam esse: electionem autem de-

cenvirorum et agrorum distributionem et quidquid praeterea curandum foret, curaturos esse consules futuros. \*)

\*) *Dionys. Halic. l. c. p. 544. Liv. II, 41.* Fuscus hujus Senatusconsulti, quod creberimas patricios inter et plebejos discordias peperit, perpetuamque fere tribunis plebis causam praebuit rixas ciendi, historiam exposuit *Ulr. Obrecht de lege agraria. in Dissert. select. libro. Argentor. 1704. 4.* Hanc primam legem Agrariam paucis romanorum legum scriptoribus observatam, multae aliae deinceps insecutae sunt, quarum indicem locupletissimum composuit *Chr. Gottl. Heyne in Pr. de legibus agrariis. Goetting. 1791. fol. et in Opusc. Acad. Vol. IV. p. 350 seq.* Caeterum cum hoc Senatusconsultum a plebe acceptum sit, dubium non est, quin pacti instar inter patricios et plebem considerari debeat.

## 13.

*Lex de tributis comitiis.*

Ut tribuum suffragio solo omnes plebeji magistratus eligerentur, populoque fas sit in illis comitiis, de his quae ad eum pertinent et consultandi et agendi. \*)

\*) *Dionys. Hal. l. c. p. 605.* Erant comitia tributa quibus ex regionibus et locis, hoc est nullo habito vel curiarum vel centuriarum discrimine, tributim suffragia ferebantur. (*Laelius felix ap. Gell. XV, 27*). Haberi primum coeperunt altero anno post creatos tribunos plebis, h. e. a. u. 263, occasione C. Marcii Coriolani (*Dionys. Hal. VII, 59*), qui in iudicium a tribunis plebis vocabatur, concedente hoc senatu, quod in magna annonae cari-

tate enixe in senatu contendisset, ne frumentum e Sicilia advectum populo divideretur, qua ratione plebem ad ultimam necessitatem redigere volebat, ut ita optimatibus obsequentior esset (*Liv. II, 34*). Quia autem apud optimates gratissimus erat Marcius, et centuriata comitia in potestate ditiorum fere erant; fore videbant tribuni plebis, ut Coriolanus absolveretur, ergo voluerunt ut populus *tributum* vocareretur, quo casu aequè pauperiorum ac ditiorum suffragia valebant. Sed magis haec comitia frequentari coeperunt post legem *Publiciam* latam a. n. 282 qua cavebatur, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. *Nieupoort. aut. Rom. S. I. C. 8. §. 1.*

Nisi omnia me fallunt, iudicium de Coriolano, ad quod proprie pertinet Senatusconsultum supra Nr. 10 relatam, non exercebatur in comitiis tributis sed in comitiis curiatis, eoque pertinere puto Senatusconsultum de ferendis suffragiis quod innuit *Dionys. Hal.* Sed et haec comitia plebi non conveniebant, quia in illis populus (praeunte *Dion. XXXI. p. 112*) curiatim divisus suffragia ferebat, ita ut quod pluralitas curiarum jussisset, id iussum populi diceretur, et denique deventum est ad comitia tributa, nulla quidem lege vel Senatusconsulto ab initio ea probante. Sed displicet admodum horum comitiorum descriptio a Nieupoorto aliisque data, cum potius haec comitia illa fuisse videantur, in quibus plebs exclusis patriciis viritum secundum tribus suffragia ferebat. Eamque saltem ab eo tempore horum comitiorum conditionem fuisse puto, a quo, ut in illis magistratus plebeji crearentur, permissum est. Atque haec comitia appellata sunt tributa, non ab eo quod plebs tributim suffragia ferret, sed quod simul ratio tribuum habita sit in suffragiis tributim seu viritum ferendis; quare rectissime ea describit *Hugo „Wahlversammlung nach Tribus.“* Omnis enim divisio

populi per curias et centurias posthabita est. Quod etiam *Augustino de legib. c. 8.* placuit.

## 14.

*Senatusconsultum de numero tribunorum duplicando.*

Licere plebi decem tribunos quotannis creare sed neminem ex iis qui tunc magistratum gererent. \*)

\*) *Dionys. l. c. p. 657.* Postulaverant tribuni legem de aequando omnium civium jure, qua scilicet plebeji in communionem tum *juris publici* tum *privati* cum patriciis devenirent, simul petierant, ut numerus eorum duplicaretur, sed posterius tantum obtinuerunt. Notandum est, Senatusconsultum reeligibilitatem plane prohibere, ita ut duplicatio facta minime nocuerit.

## 15.

*Lex tribunitia de abolendis legibus regijs.*

— — — — —  
 — — — — —  
 — — \*)

\*) *Pomponius in enchiridio (L. 2. §. 3 D. de Orig. jur.)* ait: „Exactis dein regibus lege tribunitia omnes leges exoleverunt, iterumque coepit populus romanus incerto magis jure et consuetudine ali, quam per latam legem idque prope viginti annis passus est.“ Notus est doctorum hominum de hoc Pomponii loco dissensus, antiquioribus fere omnibus verba Pomponii „lege tribunitia“ ad *to* „omnes leges exoleverunt“ referentibus, quasi

lege tribunitia omnes leges regiae abrogatae fuerint: novioribus contra, adhibita interpunctione Pomponium ita loquentem inducentibus, ac si dicere voluisset, *lege tribunitia reges exactos esse.* Quare et *Bynkershoekius* in *Praeterm. ad Pompon.* pro „*viginti annis*“ legendum putat „*sexaginta annis*“, scilicet quod ab ejectis regibus usque ad XII Tabularum confectionem sexaginta annorum spatium in medio sit. Confer. tamen et quae *Cujacius* et *Rupertus* ad hunc Pomponii locum notarunt, quorum scripta cum illo *Bynkershoekiano* juncta edid. *Jo. Lud. Uhlius.* Hal. 1735. Singularis plane opinio est, quam defendit *Stockmannus* in *not. ad Bachii histor. jur. Rom.* Lib. I, c. 1. §. 1. „*Sermonem Pomponio esse de plebiscitis cum formula sacrandi ante XII Tabulas conditis, eumque sub viginti circiter annorum spatio intelligere tempus a regibus exactis usque ad leges sacratas*“, omni destituta fundamento. Veritas in medio esse videtur, omneque punctum tulisse mihi persuasum habeo *Virum egregium Hauboldum* in *Tabulis ad Bachium*, cum in Tab. II post legem Publiciam (supra nr. 12 a nobis relatam) ad annum n. c. 283 hanc legem Tribunitiam posuerit.

„*Exactos enim esse lege Tribunitia reges*“ Pomponius dicere non potuit, cum tunc temporis ne nomen quidem „*Lex tribunitia*“ cognitum esse potuerit, tantumque *Jureconsultum* tantum vitium committere non potuisse in aprico est. Idem porro *Jureconsultus* non potuit dicere, *statim* post leges exactos exolevisse leges regias, cum earum renovatio saltem ex parte per primos consules facta ei innotescere debuerit, quo simul probatur, legem de abrogandis legibus regiis non ad leges ab illis latas pertinuisse. Denique et in temporis computatione vitium illud a *Jureconsulto* vix potuit committi, in quo ex vulgari loci interpretatione certe deprehenditur. Defenditur Pomponius, simulque

omnia clara redduntur, si hac analysi rerum et verborum incedamus.

Jam ante illud Senatusconsultum, cujus supra sub Nr. 12 mentio a nobis facta est, duplex inter patricios et plebejos causa agebatur, scilicet de *aequando omnium civium jure*, et de *novis certisque legibus ferendis*, cum quid ex legibus regis valere debeat quidque non, arbitrio patriciorum plane commissum fuerit: leges etiam regiae optimatibus maxime faverent. Patricii legum rogationem de ipsa causa semper denegantes, ut tributa essent comitia, atque in illis non solum magistratus plebeji eligerentur, sed etiam de commodo plebis deliberaretur consenserunt. Narrat *Dionys. Halic. l. c.* „Tribunos post numerum horum duplicatum statim coepisse superbire, senatum iramo convocare ausos esse.“ Mox lex *Terentilla* de quinque viris legum scribendarum causa creandis rogata fuit. Huic legi praevisse suspicor legem in comitiis tributis factam, seu potius plebiscitum idque primum *de abolendis legibus regiis*, quibus potissimum nitebantur patricii, in defendenda optimatum praecedentia, hancque legem a Pomponio *tribunitiam* appellari certissimum videtur. Rei praetextum dabant tum ipsa regia potestas abolita, tum ne ulla amplius superesset regiae potestatis recordatio, qua ejus fautores commoverentur. De jure incerto hactenus vix conclamari poterat, de magistratum tantum juris certi interpretatione quae illud incertum reddebat: sublato omni jure pristino jam poterat flagitari novum jus, idque omnibus civibus aequale, cum sublatis legibus regiis et inaequalitas simul sublata esset his legibus introducta. Hoc modo necesse non est, ut cum *Schubarto* (*de fat. Jurispr. rom. §. 30*) accipiamus, eas tantum leges regias abolitas esse, quae libertati plebis obstarent, cum omnes omnino abolere conveniret. Obstat his, quod neque *Livius*,

neque *Dionysius*, accuratissimus alias antiquitatis Romanae investigator, hujus legis Tribunitiae mentionem fecerint. Sed nullius ponderis esse videtur haec consideratio adversus Pomponii testimonium, cui ut summo Jureconsulto, et historiae juris adeo perito omnis jam fides soli tribuenda est.

## 16.

*Lex Ateria Tarpeja* \*) de mulcta a magistratibus dicenda.

Licere omnibus magistratibus suae potestatis laesae reos mulctare, ita tamen, ut mulcta quantumvis grandis, duos boves et triginta oves non excederet. \*\*)

\*) Ita vulgo appellatur haec lex. *Dionys. Halic. X.* p. 674 scribit, eam a Sp. Tarpejo et A. Termenio latam esse, unde appellari deberet *lex Tarpeja Termenia*. — *Plinius VII, c. 28* et *Livius III. p.* non *Termenium* sed *Aeternium* hunc Consulem vocant, unde *Augustin. de legib. voc. Tarpeja* mavult, *Lex Tarpeja Aeternia*.

\*\*) Hac lege, quae ex relatione Dionysii lex centuriata fuit jura consulum et tribunorum potestatis suae laesae reos mulctandi, ad omnes omnino magistratus translata sunt. An simul legi additum fuerit, ut ovem denis, bonem centenis assibus redimere liceret, non liquet. Conf. qui hanc legem illustrarunt *Jo. Koolium ad leg. Ater. Tarp. de multis* in *Otton. Thes. jur. Rom. V. p. 1521 seq.* *Bristonium Select. Antiq. I, 3*, et *G. d'Arnaud Var. Conject. I, 16*.

*Lex Icilia de monte Aventino.*

Quaecunque privati homines juste possident earum rerum domini sint. Quae vero vi aut clam aedificare aliquis coepit, solutis aedificii sumptibus populo tradantur. Caetera quae publica sunt, ea populus sine ullo sumptu inter se dividat. \*)

\*) Ita legem a *L. Icilio* tribuno plebis, *M. Valerio* et *Sp. Verginio* Consulibus latam refert *Dionys. Hal. X. p.* qua Aventinus mons publicatus est, ut populus in eo, ubi vellet, domos aedificaret. Et hanc legem *Livius III, 32.* scribit, non licuisse Decemviris tollere: ita enim legum ferendarum potestas illis permissa est, modo ne lex *Icilia* de Aventino, aliaeque sacrae leges abrogarentur (*Augustin. de Legib. voc. Icilia*).

*Lex Terentilla.*

Ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum, non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. \*)

\*) Sunt ipsa *Livii III, 9.* verba. Caeterum lex lata quidem sed non perlata est, renitentibus Senatu et consulibus. Non legis ipsius, voluntatis tantum tribuni eam ferendi meminit *Dionys. X, 627.*

IV.

DUODECIM TABULARUM  
FRAGMENTA.

# I.

## Historia LL. XII Tabularum.

### I. *Narrationes veterum scriptorum de XII tabular. legislatione.*

*Diodor. Sicul. Bibl. historic. Lib. XII. p. 300.* „Athenis principatum teuente *Praxitele* octuagesima quarta *Olympias* celebrata est. Romae autem decemviri novis legibus scribendis creantur *Publius* (*Appius*) *Claudius Regillanus*, *Titus Minucius* (*Genucius*), *Sp. Veturius*, *Gajus Julius*, *Gajus* (*Servius*) *Sulpitius*, *Publius Sestius*, *Romilius*, *Spurius*, *Postumius*, *Calvinus*. Hi leges condiderunt.“ *Et post.* „Athenis archonte *Lysania*, Romani rursus decemviros perferendis legibus creant: *Appium Claudium*, *Marcum Cornelium*, *L. Minucium*, *C. Sergium*, *Quintum*, *Publium*, *Manium*, *Rabulejum*, *Spurium*, *Veturium*. Verum hi leges absolvere non potuere. Nam unus ex horum collegio amore virginis cujusdam nobilis sed tenuis fortunae exarsit“ etc. *Et p. 301.*

„Archonte Athenis *Diphilo* Romae Coss. creantur *M. Horatius* et *L. Valerius Turpinus*. Hi leges seditione interpellatas tandem pertulerunt. Duodecim enim tabularum, uti vocant, *decem* solummodo perfectae erant, *duas* igitur reliquas Consules \*) supplevere. Jura igitur P. R. sic absoluta XII Tabulis *aenels* inciderunt, easque pro Curia rostris affixere. Et haec legum descriptio brevis admodum omnisque verborum apparatus expers ad hanc nostram tempestatem perdurat.“

*Lir. Lib. III, c. 34—37.* „*Sp. Tarpejo*, *A. Aeternio* Consul. (a. n. c. 300) abjecta lege\*\*), quae promulgata consenuerat, Tribuni lenius agere cum patribus: finem tandem certaminum facerent, si plebejæ leges displicerent: at illi communiter legum latores et ex plebe et ex patribus, qui utrisque utilia ferrent quaeque aequandae libertatis essent sinerent creari. Rem non aspernabantur patres, daturum neminem leges nisi ex patribus aiebant. Cum de legibus

\*) Sc. *M. Horatius* et *L. Valerius Potitus* post abrogatam decemviralem potestatem primo iterum Consules electi. Duplex est *Diodori* respectu duarum posteriorum tabularum ab aliis dissensus 1) circa *Personas* qui eas X prioribus addebant, 2) circa *tempus*. Ait enim, has tabulas non a Decemviris additas fuisse sed a consulibus, et accessisse non proximo sed altero sequente anno.

\*\*) Quae? *Agrariam* putat *Gothofredus*, aliis videtur *Lex Terentilla* quae jam a. 293 lata fuit, sed renitentibus Senatu et Consulibus non perlata. Utrumque displicet.

conveniret, de latore tantum discreparet: missi legati Athenas, *Sp. Posthumius Albus*, *A. Manlius*, *P. Sulpitius Camerinus*, jussique inclitas leges *Solonis* describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque noscere \*) — —. Inde Consules *C. Menenius*, *P. Sextius Capitolinus*, neque eo anno quicquam belli externi fuit, domi motus orti. Jam redierant legati cum *Atticis legibus*, eo intentius instabant tribuni, ut tandem legum scribendarum initium fieret. Placet creari decemviros sine provocatione, et ne quis eo anno alius magistratus esset. Admischerentur ne plebeji controversia aliquamdiu fuit. Postremo concessum patribus: modo ne lex *Acilia* de *Aventino*, aliaeque sacratae leges abrogarentur. — — — Decemviri creati *A. Claudius*, *T. Genucius*, *P. Sextius*, *L. Veturius*, *C. Julius*, *A. Manlius*, *P. Sulpitius*,

\*) Factam a Romanis in Graeciam legationem superiori seculo a pluribus in dubium vocatum est, quos egregie refutavit *Stramiglioli* in *Diss. interno al trasporto delle romane leggi delle XII Tavole della Graecia*. Napol. 1794. 4. Cur facta sit? ad hanc quaestionem responsio in promptu est. Neque enim a patriciis neque a plebejis ut proponerentur leges, consilii erat, et adeo Graecia omnis inclaruerat bonis legislatoribus, ut utraque pars facile eorum elogiis acquiescere possit (vid. *Chr. Gottl. Richter.*] in *Animadvers. Specim.* Hamburgi 1791. 8.). Sed alia quaestio est, quantum et quid de legibus Graecis in corpus XII Tabular. receperint decemviri, quam fusius tractavit *Ev. Otto loc. infr. laud.* Et sane plura in XII Tabul. Graecitatem sapiunt.

*P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Posthumius.*  
 Claudio et Genutio, quia designati Consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: Et Sextio alteri Consulum prioris anni, quod eam rem collega invito ad patres retulerat. His proximi legati tres habiti qui Athenas ierant: simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos: simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usui fore credebant: supplere caeteri numerum. — — — — tamen legibus condendis opera dabatur, ingentique hominum expectatione propositis decem tabulis populum ad concionem advocaverunt. — —. Cum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito, satis correctae viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatae sunt, qui nunc quoque hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privatique est juris.“ — — — — Vulgatur deinde rumor duas deesse tabulas quibus adjectis absolvi posse, velut corpus omnis juris romani. Ea expectatio cum dies comitorum appropinquaret, desiderium decemviros iterum creandi fecit. — — — Jam et processe- rat pars major anni, et duae tabulae legum ad prioris anni decem Tabulas erant adjectae, nec quicquam jam supererat, si hae quoque leges centuriatae comitiis perlatae essent, cur eo magistratu reipublicae opus esset.“

*Dionys. Halicarn. Ant. Rom. Lib. X.*  
*a. p. 674—681.* „Sp. Tarpejo et A. Termino  
 Coss. Consules de legibus quas tribuni in com-

munem totius P. R. usum et in perpetuum servandas scribi maximo studio cupiebant cognitionem senatui permiserunt. Multae — ab optimis viris sententiae in utramque partem sunt dictae. — — Tamen praeter omnium tum patriciorum tum plebejorum opinionem vicit T. Romilii sententia. — — — „*Verba ex orat. Romilii.*“ In summa Vobis suadeo ut legatos eligatis, et partim in Graecas urbes, quae sunt in Italia, partim Athenas mittatis, qui leges optimas et nostris moribus ac institutis maxime convenientes a Graecis petant, atque huc ferant. His vero reversis Consules ad Senatum referant de legislatoribus eligendis et de eorum imperio, quodnam sit futurum.“ His a Romilio dictis, uterque consul in ejus sententiam ivit. Facto autem Senatusconsulto, ac per plebiscitum postea confirmato, legati legum a Graecis petendarum causa creati sunt, Sp. Posthumius, Sext. Sulpitius, A. Manlius, quibus triremes cum omnibus ornamentis quae amplam Romani imperii majestatem satis indicare poterant ex aerario assignatae sunt. Et annus ille abiit. Expletus etiam annus 301. — — — — Consules creati L. Menenius, P. Sestius. Eodem tempore reversi sunt *legati cum legibus quas afferebant Athenis, et ex aliis Graecis urbibus quae in Italia erant, moxque tribuni plebis consules adierunt, postularuntque ex Senatusconsulto legumlatores crearentur.* — — — — Ergo tunc etiam multa huic inde verba facta sunt, tam ab illis qui suadebant, ut civitas legibus re-

geretur, quam ab iis qui patrios mores servandos censebant: sed sententia consulum in proximum annum designatorum vicit, quam Appius Claudius primo loco rogatus dixit: „*Ut decemviri Senatorii ordinis nobilissimi eligerentur.*“ — — — Hos populus vehementer laudavit admiratusque est. Et cum *legum condendarum gratia decemviri creandi essent*, eos primos elegit. Creatique sunt centuriatis comitiis App. Claudius, T. Genucius, qui in annum proximum Consules designati fuerant, et cum his P. Sestius illius anni consul: et tres legati, qui leges a Graecis attulerunt, P. Postumius, Sext. Sulpicius, A. Manilius, et unus ex superioris anni Consulibus, T. Romilius qui a Siccio accusatus et populi iudicio damnatus, tunc tamen sententiae popularis auctor fuisse videbatur: et ex reliquis senatoribus C. Julius, T. Veturius, et P. Fioratius, omnes consulares: Tribunorum vero, aedilium, quaestorum, et si qui alii patricii magistratus Romae erant, abrogati sunt. — — Anno sequenti *decemviri legum condendarum causa creati*, assumptis reipublicae gubernaculis leges conscriptus tum ex Graecorum jure, tum ex suis moribus non scriptis, in X tabulis cuilibet cognoscendas proposuerunt, omnino privatorum correctionem admittentes, et hoc agentes, ut leges scriptae omnibus placerent. Diuque in publico cum optimis quibusque viris de iis legibus consultarunt, eas accuratissime examinantes. Ubi vero leges scriptae visae sunt satis bene se habere, primum coacto Senatu, nemine amplius

eas leges reprehendente, Senatusconsultum de ipsis fecerunt. Deinde populo ad comitia centuriata convocato, pontificibus, auguribus, aliisque sacerdotibus praesentibus et re divina eorum praescripto de more facta, centurias in suffragia miserunt. Leges autem plebiscito quoque confirmatas, et in *aeris columnis* incisas in loco fori maxime conspicuo ordine dispositas proposuerunt.“ — — — — Post multas autem sententias hinc inde dictas, ea vicit, quae censebat, Decemviros iterum creandos, totiusque reipubl. summam illis comittendam. Videbatur enim aliquid deesse legum numero propter brevitate[m] temporis, quo fuerunt conditae. — — — — Appius rursus centuriatis comitiis legislator creatus est, et cum eo Q. Fabius Vibulanus qui ter consulatum gesserat — — ex reliquis vero patriciis — — M. Cornelius, M. Servilius, L. Minutius, F. Antonius, Manius Rabulejus. — — Ex plebejis vero Q. Petilius, Caeso Duellius et Rp. Oppius. Sed Appius ejusque collegae, quum reliquas leges in duabus tabulis scripsissent, has quoque illis decem prioribus addiderunt: in quibus haec quoque lex erat: *Ne patribus cum plebe connubii jus esset: non ob aliam causam, ut mihi videtur, quam ne familiis conjugii et affinitatis vinculo consociatis, ordines in concordiam coirent.*“

Add. h. l. ex *Diodoro, Livio et Dionys. Halic.* citat. *Tacit. Annal. Lib. III. c. 27. Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 21 in Virgin. Orosium Lib. II. c. 13. Cassio-*

*dor. Chronic. Sp. Tarpej. et A. Aternius. Isidororum Origin. Lib. V. c. 1. Zonaram Tom. II. p. 27. Macrob. Lib. I. Saturnal. c. 13.*

*Pomponius libr. singul. Enchirid. (L. 2. D. de O. J.) §. 3.* Exactis regibus, lege tribunicia omnes leges hae exoleverunt, iterumque coepit P. R. incerto magis jure, et consuetudine ali quam per latam legem: idque prope XX annis passus est. §. 4. Postea ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate *decem* \*) constitui Viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus, quas in tabulas *eboreas* \*\*) prosriptas pro ro-

\*) Cum hic Pomponii locus aliis scriptoribus veteribus plane refragetur, variae emendationes tentatae sunt. Conf. praet. al. *Corn. v. Bynkerhoek* in *praeterm. ad L. 2 D. de Or. jur. (Oper. p. 284)* qui vult verba Pomponii in hunc modum transponi „*placuit publica auctoritate, peterentur leges a Graecis civitatibus et decem constitui viros, per quos civitas fundaretur legibus.*“ Sed nihil certe mutandum, cum Pomponius brevitati studens, petitionis legum negotium, simul earum ferendarum, decemviris tribuat.

\*\*) Plures ad h. *Pomp. loc.* itidem emendationes propositae sunt, quo aliis antiq. Scriptoribus respondeat, sc. *roboreae* „*aeneae.*“ *Ev. Otto* loc. *infr. cit.* sic ad eum haec scripsit: „*Cujac. ad Pompon. de O. J.* leges priores in roboreis deinde in aeneis, novissime in eboreis propositas esse existimabat. Alii malunt invertere, ut primum lignae tabulae dein eboreae, postremum aeneae fuerint. *Turnebus L. XXX advers. c. 36 ap. Pompon. in L. 2 §. 4 D. de O. J.* pro „*eboreas*“ legit „*aereas*“:

stris composuerunt, ut possent leges apertius percipi: datumque est eis jus eo anno in civita-

ebur enim ut ornamento satis esset, tamen diuturnitate non sufficere cum carie exedatur, neque aetatem ferre possit. Eandem conjecturam ex *Livio* et *Diodoro* firmat *Rupert. ad Pompon. d. §. ed. florum lib. 1. c. 24, et ep. 27 ad Reines. p. 672.* Contra *Scaliger* in *animadvers. ad Guilandini Papyrus* et *Brodaeus lib. IV. Miscellan. c. 12* pro „eboreas“ restituunt „roboreas“ i. e. ligneas, quibus etiam *Gothofredus* adstipulatur. Mihi ipsi vox tabularum aliquid opus huic opinioni adferre videtur, quae ligneas plerumque notat, unde et bonorum possessio contra tabulas, contra lignum vulgo dicebatur, auctore *Tryphonio* in *L. 19 D. de bon. poss. contr. tabul.* — Hactenus *Ev. Otto.* — Quaestionem de loco *Pomponii* post *Ev. Ottone* denuo reassumserunt duumviri illi, *Aug. Frid. Schott* in *D. vindiciae Pomponii de materia XII Tabul.* (*Opusc. jurid. p. 257—271* et *Gottl. Wernsdorff* in *Obs. de materia XII Tabular. ad loc. Pompon. ex Enchiridio L. 2 §. 4 D. de Orig. jur.* Vitemb. 1772, quorum prior nil in *Pomponio* mutandum existimat, quum *Pomponium* statuat loqui de primis X tabulis in ebore propositis ab ipsis decemviris, *Livium III, 57* contra de omnibus, adeoque XII tabulis in aes incisus et a Consulibus post ejectos decemviros publicatis; posterior defensa lectione *Scaligeri*, Decemviros roboreis tabulis adeoque more antiquitus solito leges censet suas proposuisse, et *Dionys. Hal. L. X, p. 631* *προληψίως* incusat. Concordiae hoc modo instaurandae (periculum fecit *Jac. de Rhoer* in *feriis Däventriensibus* (*Traj. ad Rhen. 1758. 8.*) c. XXVIII, ut, de legum promulgatione (i. e. expositione ut publico examini submitteretur) in tabulis eboreis facta, *Pomponium*; de confirmatione earum aeneis tabuli

te summum: uti leges et *corrigerent* si opus esset et *interpretarentur*: neque provocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus fieret. Qui ipsi animadverterunt *aliquid deesse istis primis legibus*: ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, et ita ex accidentia appellatae sunt leges XII tabularum: quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris *Hermodorum* \*) quendam Ephesium exulantem in Italia quidam retulerunt.“

II. *Quae ab illis de Legum XII Tabularum ambitu et praestantia, lingua in qua scriptae fuerint, et stilo quo usi sint decemviri referuntur.*

1) *Cic. lib. I de Orat. c. 43.* Si quis civilem scientiam contemplatur, totam hanc descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbitis. Add. *Flor. lib. I, c. 24.* — *Auson. Grypho de ternario. Idyll. II, v. 61.* „Jus triplex, tabulae quod ter sanxere quaternae, *Sacrum, Privatum, Populi commune* quod usquam est.“

2) *Cic. Lib. I de Orat. sub Crassi persona c. 43:* „fremant omnes licet, dicam quod sen-

in perpetuitatem Dionysium loqui sibi persuasum habeat.

\*) Confirmantur haec quae de *Hermodoro* tradit *Pomponius, Plinii* (*Lib. XXXIV, c. 5*) praesertim testimonio, dicentis „fuit et *Hermodori* Ephesi in Comitio statua, *Legum, quos decemviri scribebant, Interpretis publice dicata.*“

tio, bibliothecas me hercule omnium philosophorum, unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. Percipietis etiam illam ex cognitione juris laetitiam et voluptatem, quod quantum praestiterint nostri majores prudentia caeteris gentibus tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile praeter hoc nostrum, inconditum ac pene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam caeteris hominibus et maxime Graecis antepono.“

3) *Symmachus lib. III, ep. 44.* „Si tibi vetustatis tantus est amor pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt, et Augures avem consulunt, et Decemviri tabulas condiderunt.“ Vid. et *Horat. lib. II, ep. 1, v. 22.* *Seneca, ep. 114.* *Gellium N. A. lib. XVI, c. 10.*

4) *Cic. de republ. ap. Nonium in Voc. Jurgium c. 5.* Admiror non rerum solum, sed etiam verborum elegantiam. — *Gellius lib. XX, c. 1.* Orta est mentio Legum Decemviralium; Eas leges cum Sext. Caecilius, inquisitis multorum urbium legibus, *eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas diceret etc.*“

---

Ab omnibus fere editoribus et commentatoribus de historia legum XII tabul. scitu neces-

saria praemissa sunt, mox brevius mox uberius: sed deest adhuc historia harum legum pragmatica. Quae protulit *Ev. Otto* in *Diss. de LL. XII tab.* praefixa ejus *Thes. Jus. Rom. Tom. III* partim egregia, magis ad rem criticam quam historicam pertinent. Fabula circumfertur, in illis jus tantum inter patricos et plebejos constitutum esse, non vero jus Romanum proprium publicum, tum privatum: quam qui amplexus fuerit, egregie fallit. Sed non omnia repetita sunt et de novo constituta quae jam certissimi juris erant: ea tantum quae nova sanctione indigere viderentur. Quibus caeterum et variis appellationibus leges XII tabul. apud veteres scriptores designentur, monstravit *Jac. Gothofr. Lib. II Operis sui*, sed cave credas, omnes ab eo prolatas appellationes ad Leges XII tabularum pertinere.

---

## II.

### Harum legum litteratura.

#### I.

De interpretibus duodecim tabularum veteribus.

*Ev. Otto in praef. ad Tom. III. Thes. jur. civil. p. 28.*

Testimonia de priscis interpretibus XII

Tabular. tum innominatis a), tum de *Sext. Aelio, L. Acillio, Laelio, Messala, Labeone et Gajo, Gothofredus* noster *lib. IV. p. 145* collegit b) sed tertius eorum *Lucius Aelius* vocandus erat ex emendatione *Turnebi ad Ciceronem Lib. II. de Legib. c. 23.* — His seviris p. 156 addit *Servium Sulpicium* Jurisconsultorum principem, a quo habemus, quid in XII sit, *Vindicia, sarcire, pedem struere, noxa* et *Sanates* apud Festum, cujus etiam auctoritate *Gajum* c) idcirco *Lib. V. ad XII Tabul. in L. 237 D. de V. S.* usum esse *Cujacius* notavit *Lib. X Obs. c. 26.* Mihi aliis quoque rationibus id probabile videtur: refert enim *Pomponius* in *L. 2 §. 43 D. de Orig. Jur.* complura ejus volumina existisse, eumque reliquisse prope centum et octoginta libros, quibus jus civile in formam artis redegit, ac immensam et horridam quaestionum silvam in pauca membra digessit. *Gellius* eum idcirco juris civilis auctorem vocat *Lib. Ió. c. 10,* et *scriptis ejus similia nulla fuisse Ciceró* ait in *Bruto nr. 154* d). Oportet ergo is a fonte omnis privati et publici

juris initium fecerit, qui primus item ad edictum juris humanioris fundum duos libros brevissimos scripsit auctore *Pomponio* in *L. 2 §. 44 D. de O. J.* Multus praeterea fuit in antiquis vocabulis ex omni vetustate explicandis, usque eo, ut *Varronis* consilio uteretur, sicubi aqua haereret *Gell. dict. cap. 10*, et *Festus* in *Facissae*: nuncquam enim fore existimabat, ut posset veros legum sensus eruere, nisi eorum verba antiqua, sepulta et ex alieno seculo petenda haberet in numerato: haec vero propria Legum duodecim Tabularum dos erat, quod *verborum prisca vetustas ex iis cognosceretur* ait *Cicero L. I de oratorib. c. 43*. Eiusdem studii imitatore habuit, inter alios auditores *C. Aulum Ofilium*, quem perperam *Schubartus de fatis jurispr. p. 255* ad hoc album trahit, et cum *Opillio Aurelio*, cujus plus decies *Festus* meminit, confundit. *Bertrandus* vero de *Jurisperitis* lib. II, c. 51. *Atteji Capitonis* Commentaria ad LL. XII Tabulas. laudat, quae sunt *Antistii Laeonis* auctore *Gellio*: quamvis *Plinius* Capitonem in explicatione muratae

potionis cum *Scaevola* et *Laelio* conjun-  
 gat *Lib. XIV, Hist. nat. c. 13*. Atque  
 hi sunt interpretes quorum maxima aucto-  
 ritas fuit, et crebra sub nomine *Veterum*  
 fit mentio. Cum enim Leges paucissimis  
 verbis multa complecterentur, earum ut  
 naturaliter evenire solet interpretatione  
 fuit opus e), quae *jus civile* et *media Ju-  
 risprudentia* f) dicitur §. 3 *Inst. de legit.  
 agn. success.* tantumque valuit, ut quod  
 ex eorum sententia descendit, perinde ha-  
 beatur ac si verbis legis fuisset compre-  
 hensum *L. 6 §. 1 D. de V. S.* Inde  
 substitutio pupillaris querela inofficiosi et  
 legis actiones manarunt, id est formulae,  
 quibus ea de quibus lex cavet, apud ma-  
 gistratus rite peragerentur. *Cic. pro Mu-  
 raen. c. 11, 12.* Industria illorum ma-  
 gnam partem in verborum explicatione  
 versabatur: quid esset *dies condictus*, *mor-  
 bus sonticus*, *ambitus*, *vagulationes* et  
*lessus*, apud *Ciceronem Lib. II, de LL.  
 c. 23*, et *Varronem Lib. IV, de LL.*,  
 nam et *Fabius* scribit, non exiguam par-  
 tem muneris *Jurisconsultorum*, in vi ac  
 proprietate verborum explicanda positam  
 atque ideo eos verborum proprietatis ob-

servandae studiosissimos fuisse. Iidem quoque sententia legis demonstrata ampliationes et limitationes exhibebant, et quae legi deesse videbantur supplebant, cujus rei exempla ex *Cicerone Lib. III, de Officiis c. 17, Pomponio L. 120 D. de V.S. et Paulo* peti possunt, qui *lib. IV. Sentent. tit. 8, §. 3*, ait: *Intestatorum hereditas defertur Lege XII Tabul. Sane consanguineos lex non apprehenderat, interpretatione Prudentum primum inter adgnatos locum acceperunt.* — Huc porro referenda est usucapio servitutum, libertatis, et hereditatis, tutela feminarum patronorum et fiduciaria, prohibitae inter V. et V. donationes, et id genus alia, de quibus *Raevardus in libro singulari de auctoritate Prudentum.* Propter hos autem magnos labores magna sapientiae fama et laus iis surgebat. *Sextum Aelium Ennius* egregie cordatum hominem, id est acutum, Justinianus juris antiqui conditorem vocavit in *L. 1 pr. C. de Comm. serv. manum*: ejus scripta *jus Aelianum* ut *jus Papirianum* et *Flavianum* dicebantur. *L. 2 §. 4 D. de O J. L. Acillius* sapiens adpellatus ait *Pomponius* quod

prudens in jure civili putabatur *L. 2 §. 38 D. de O. J. Aulus Gellius Lib. IV, c. 1* ait: Veteris juris magistri qui sapientes appellati sunt. Quanta *Labeonis* et *Gaji* fuerit auctoritas ex *pr. J. de codicillis* et §. 6 *proem. Inst.* omnibus notum est. g)

a) Loca hunc in finem a *Jac. Gothofredo* citata sunt *Varro L. 4 de ling. lat. nr. 4. L. 21 D. de statu lib. Cic. lib. 2 de Legib. c. 25. Festus voc. Recinium.*

b) Respectu horum nominatorum interpretum citantur a *Gothofredo L. 2 §. 38 D. de orig. Juris Cicer. in Topic. c. 2 et de LL. lib. 2, c. 23. Plin. L. 14, c. 13. Festus voc. Tuguria et in Ursini Schedis, Gell. N. A. L. 7, c. 15. L. 1, C. 12. et L. 20, c. 1. L. 1 D. de Orig. jur. L. 18, 20 et 22 D. de in jus vocand. L. 233 pr. D. de V. S. L. 6 D. si quis caut. L. 2 et 4 D. arbor. furt. caes. L. 48 D. de pact. L. 235 D. de V. S. L. 43 D. ad Leg. Jul. de adult. L. 9 D. de incend. L. 236 D. de V. S. L. ult. D. de Colleg. L. ult. D. fin. reg. L. 236, 237 et 238 D. de V. S. L. 3 D. de litigios. L. 19 D. de Usur. L. 233 §. 3 D. de V. S. — Eminent inter veteres XII tabul. interpretes duo *Aelii*, quorum posterior *commentarios* uberrimos in has leges scripsit, et qui teste *Cicerone* in *Brut. c. 56* antiquitatis fuit peritissimus. (Conf. *Carrio Antiq. lect. I, 8*); prior vero in *tripertitis juris civilis* omnem veteris *Jurisprudentiae* ambitum, in ipsis duodecim tabulis verbis, interpretatione earum et legis actionibus exhaustis videtur.*

c) Singularem in *Gaji* libros *Δωδεκαβιβλου* *commentarium* scripsit *Anton. Cabrerus de Avenda-*

- no Interpretatio ad Jureconsultum Cajum Lib. 1 ad duodecim tabulas. Madrit. 1638. 4.*
- d) Cuncta de hoc ICto rom, collegit *Ev. Otto* in libro sing. *de vita studiis scriptis et honoribus Servii Sulpicii etc. Juriscons. princ. ins. ej. Thes. jur. Rom. Tom. V. p. 1549 seq.*
- e) Pertinet huc locus Pompon. *L. 2 D. de Orig. jur. ad quem nuper commentatus est Carol. Schroeter pr. de disputatione fori partibus juris romani falso adnumerata. Dorpat 1821.*
- f) Hujus mediae jurisprudentiae accuratior et vere historica expositio adhuc desideratur. Tantum enim abest, ut qui post alios eam illustrare tentavit *Pardulphus Pratejus* (*jurisprud. media Lib. IV. Lugduni 1561. 8. et in Ev. Otto Thes. jur. Rom. Tom. III. p. 505 seq.*) rem exhausta, **ux vix coepta** dici possit. *Conf. et Select. Observat. Halens P. I, p. 82.* Est autem media jurisprudentia auctore Justiniano §. 3 *Inst. de legit. agn. Succ.* quae Leg. XII fuit junior, imperialibus vero constitutionibus antiquior, hincque omne jus, a legibus XII tabularum usque ad Octavianum noviter formatum complectitur.

## 2.

De harum legum deperditarum restitutione, et de earum interpretibus recentioribus.

*Haubold. Instit. Jur. Rom. liter. Tom. I. §. 14.*

Legum duodecim tabularum (deperdita-

rum \*) colligendarum a) periculum primus fecit *Aym. Rivallius* b), Ciceronis tamen auctoritatem cum aliis antiquioribus interpretibus minus caute secutus. Post Rivallium certatim eam provinciam adgressi sunt *Nic. le Sueur* c), *Francisc. Balduinus* d), *Ludovic. Charondas* e), *Pardulph. Pratejus* f), *Jacob. Raevardus* g), *Franc. Hotomanus* h), *Anton. Contius* i), *Just. Lipsius* k), *Anton. Augustinus* l), *Fulv. Ursinus* m), *Dion. Gothofredus* n), *Franc. Pithoeus* o), *Theodor. Marcilius* p), *Paul. Merula* q) et *Conr. Rittershusius* r), e quibus *le Sueur*, *Lipsius* et *Pithoeus* fragmenta congesserunt, *Charondas*, *Contius* et *Dionys. Gothofredus* brevia Scholia, ceteri justos commentarios adjecerunt. Sed omnes hujus aetatis scriptores s), si *Pithoeum* (qui primus e *Caji Dodecadeldo* saniora docuit t) et *Marcilium* excipias, fugit genuinus legum ordo u), et quod magis est, probabilis earum delectus, unde etiam numerus fragmentorum apud eos mire variat. Qua duplici ex causa superioribus longe praestat *Jac. Gotho-*

*fredus* v) qui et spuria decreta a genuinis sollicite separavit, et veram cuique legi sedem assignavit, additis tum notis eruditis tum glossario utilissimo. Nec dubitaverunt Gothofredi humeris insistere quotquot in legibus decemviralibus interpretandis postea diligentiam exercuere. Quo nomine commendandi sunt maxime *Jan. Vinc. Gravina* w), *Ebr. Gottfr. Hoffmannus* x), *Jo. Nic. Funccius* y), *Ant. Terrassonus* z) et *Matth. Ant. Bouchardus* a). In his *Funccius* atque *Terrassonus* de prisco sermone restituendo in primis fuere solliciti; quae de re *Funccio* cum *Balth. Branchu* intercessit controversia b). Reliquos scriptores c) vel raritatis causa commemoramus, vel quod spicilegia non contemnenda priorum lucubrationibus adjecerunt. Tantum enim abest, ut *Jac. Gothofredus*, quaecunquae ad restituendam pristino nitore jurisprudentiam decemviralem conducant, laboribus suis exantlaverit, ut larga adhuc messis relicta videatur. d)

\*) An tabulae aerae adhuc Cypriani aetate integrae exstiterint (*Cyprian. Epist. II, 2*), sub iudice adhuc lis est. Vid. *Hugo Gesch. des Röm. Rechts*, ed. nor. pag. 27.

- a) *Laur. And. Hamberger Observ. ad Gravinæ Origin. jur. civ. c. 4 in Opusc. p. 356—365. Ev. Otto Diss. de LL. XII Tab. c. 6, 7, 11 et 12 in Praef. ad Tom 3 Th. Jur. Rom. nec non adj. comm. Instit. edit. Francof. p. 648—658 et p. 699—712, Bouchaud Discours préliminaire sur la loi de XII Tab. (in fronte Commentarii ad LL. XII Tab.) Tom. I. p. 118—163 et p. 216—233 edii. II.*
- b) *Aym. Rivallii Civilis historiae juris, sive in XII Tabular. leges Commentariorum libri V.*  
 1) Mogunt. 1527. 8. 2) 1530. 8. et saepius. \*)
- \*) *Ritttershus. libr. lit. n. cit. c. 6 nominat adhuc et quidem cum laude aliqua, quod miror, Oldendorpium in var. lect. ad jur. civil. interpret. qui mox post Rivallium etiam XII Tabulas cum interpretatione edidit, sed jam anno post (1528) prodierunt XII Tabul. fragmenta cum notis brevibus Mediolani lingua Italica auctore Adr. Boschi.*
- c) *Leges XII. Tabul. per Nic. le Sueur repositae. Divisio totius juris brevissima ex opere M. Tullii Ciceronis de legibus et Imperatoriae institutioni per eundem adcommodata. Paris 1547. 4. \*)*
- \*) *De Interpretibus Balduino antiquioribus ita generaliter judicat Ev. Otto l. c. I. p. 25: „Quanta eorum in fingendis legibus decemviralibus fuerit temeritas, Aymari Rivallii aliorumque exemplo constat, de quibus Anton. Augustinus de Legibus (p. 1282 Tom. II. Thes. Ott.) hunc in modum loquitur: Non magis ea Ciceronis XII Tabul. esse credendum est, quam quae Rivallius ingenii ostentatione usus effingit. Cujus audacia crinitus, ut opinor occasio fuit, quem secuti aliquando fuerunt Budaeus et Alciatus noster, atque alii non pauci, quorum omnium aemulari ne-*

*gligentiam malle, quam aliorum obscuram diligentiam, ut Terentius ait, nisi apertissimis ut mihi videtur, testimoniis veritatem occultari deprehendissem.*"

- d) *Franc. Balduini libri II in leges Romuli et XII Tabul.* 1) Lugdun. 1530 f., 2) *adject. Commentar. in Institut.* Paris 1554 f., 3) *sine Commentar. ad LL. Romul.* sub tit. *Commentarii de LL. XII Tabul.* Tertia sed plane nova editio. Basil. 1757. 8. 4) *Jo. Gottl. Heineccii Jurisprud. Rom. et Attica.* T. I. p. 17—170. \*)

\*) De hoc opere ita judicat *Ev. Otto l. S. c. p. 31: Franciscus Balduinus* primus sibi hoc quasi praecipuum munus imposuerat, ut omnia XII Tabularum fragmenta in unum corpus colligeret, et partim ex omni veterum lectione, partim ex jure nostro illustraret. Puerile ipsi videbatur, de legibus romanis libellos inscribere, qui non nisi quaedam eorum nomina obiter judicarent, majore apparatu opus esse, ut earum vim et potestatem intelligemus. Sed cum secunda ejus commentationis editio prodiisset, *Anton. Conti* in admonitione de falsis Constantini legibus, quae nunc ad calcem *Lib. II. subcesivar. lection.* extat, criminabatur: *in delibandis veterum auctorum flosculis magis eum volitare, quam in degustandis et perlegendis legibus immorari, seriamque aut assiduam operam collocare, multa denique XII Tabul. capita praetermittere* quae ibidem subjiciuntur. Adeo acerba haec aemuli castigatio eum commovit ut non modo *notas aridi Censoris maledicas et malitiosas, viperæ sibilos, et impuram ingrati hominis petulantiam appellavit in praef. ad Justinianum,* sed et quod multo salubrius erat, cum paulo post, in *Historiae universitate perlustranda Heidelbergae* vorteretur,

commentarios de LL. XII Tabular. aute tertiam editionem recognoverit, mutarit et emendaverit feliciter. Prodiit illa Basileae, ex officina Joannis Oporini a 1569 atque in tantum numero capitum et sententiis differt a praecedente Parisiensi a. 1554, ut, nisi *Balduini* nomen utrique praemisum esset, arbitrari quis posset, a diversis auctoribus eos fuisse conscriptos.

- e) *Leges XII tabularum a Lud. Charonda ex suis et aliorum antiquitatis doctissimorum commentariis restituae.* — *EjUSD.* ad *Leges XII Tabul.* lib. sing. in prima editione Catalogi legum antiquarum Zasiana a *Charonda* recognita (Paris 1555, 12.) fol. 146 — 187. A recentioribus editionibus abest commentarius, sed numerus legum ibi auctus est.
- f) *Pard. Prateji Jurisprud. vetus sive Draconis etc. ac XII Tabular. leges collectae interpretataeque.* 1) Lugd. 1559. 8. 2) In *Thes. Otton.* T. IV. p. 381 — 480.
- g) *Jac. Raevardi ad Leges XII Tabul.* lib. singul. 1) Brugis 1563. 8. 2) In *Operib. Francof.* 1601. 8. T. I. p. 4 — 120.
- h) *Franc. Hotomanni de Legibus XII Tabular.* tripartita commentatio. 1) Lugd. 1564. 8. 2) In *Operib.* Tom. III. p. 369 — 488.
- i) *Ant. Contii brevis Collectio veterum legum XII Tabular. fragmentorum.* In *Oper.* ed. Neap. p. 263 — 273.
- k) *Leges regiae et decemvirales Justi Lipsii opera studiose collectae.* (Hic libellus jam a. 1577 concinnatus, tum seorsim, tum cum aliis scriptis saepe est recusus. Secunda editio prodiit cum libro Anton. Augustini de legibus. Paris 1584 f. post Fulvii Ursini notas. p. 41 seq.)
- l) *Ant. Augustini de legibus et Senatusconsultis*

*liber. Adjunctis legum antiquarum et Senatus-consultorum fragmentis* (num. XXXV) c. n. *Fulvii Ursini*. 1) Rom. 1583. 4. 2) In *Graevii Thesaur. Antiq. Rom.* T. II. p. 1139 — 1378. 3) In *Augustin. Oper.* T. I. p. 1 — 164.

m) Vid. not. praeced.

n) *Epitome fragmentorum quae nobis supersunt ex legibus XII Tabular.* auct. *Dionys. Gothofredo*. Genev. 1586. 8. et in edit. Corp. jur. civil. Gothofred.

o) *Duodecim Tabularum fragmenta.* (Collectore *Franc. Pithoeo.*) In *Codic. Theodos.* etc. edit. Parisiensi a. 1586 (§. 81 nr. 2) in fronte P. II.

p) *Theod. Marcilii legis XII Tabularum collecta et interpretamentum.* 1) Paris 1600. 8. 2) Auct. ibid. 1603. 12. 3) In *Thes. Otton.* Tom. IV. p. 217 — 324. \*)

\*) De *Marcilio* ita judicat *Ev. Otto* l. t. I. „Amabat voces singulares seculi alieni, nec tanquam scopulum fugiebat insolens verbum, sed ultro captabat et affectabat. — — Utilem — — in verborum significatione navavit operam — — : aliquando formulas interpretum pro verbis legitimis Decemvirorum venditavit.“

q) *Paul. Merula* lib. singul. *de legibus Romanor.* in *Oper. var. posthum.* (L. B. 1684. 4.) et in *Poleni supplem. Thesaur. Antiq.* T. I. p. 1 — 234. \*)

\*) *Ev. Otto* l. c. de eo ita: Majora praestitit *Paul. Merula* quondam in *Academ. Lugd. Bat. Prof. historiar.* cui magnificentum elogium suspendit erud. *Schubartus de fatis Jurispr.* Ed. II. p. 257, ejusq. *Opusculum posthum. de Legibus* inter alia antiquioris doctrinae scripta eminere ait. Videtur *Merula* in his commentariis supplere voluisse, quod decessor ejus *Lipsius* lib. IV *epistol. qu. 26* promiserat, sed dolen-

dum est vehementer, fato ejus praecoce scriptum hoc ultimam manum non accepisse, in quo post *Fulv. Ursinum* de restituendis antiquissimis legum verbis et fideliter explicandis sollicitus fuit. — —

- r) *Conr. Rittershusii Duodecadeltos sive in XII Tabularum leges Commentarius novus.* 1) Argentor. 1616. 4. 2) *Ibid.* 1659. 4.
- s) Huc adhuc pertinent: 1) *Ricardi Viti Basinstochii ad Leges Decemvirorum in XII Tabulis, Institutiones juris civilis in quatuor libris, primam partem Digestorum in quatuor libris notae juris interpretati.* Atrebatii 1597. 8. \*) 2) *Ant. Clari Sylvii (vulg. Ant. le Clerc Sieur de la Foret) Commentarius ad leges tam regias quam XII Tabular. mores et canones romani juris antiqui.* Paris 1603. 4. qui posterior nullas agnoscit nisi leges a Cicerone in libris de legibus propositas, unde magis tituli quam argumenti causa huc spectat. Cf. *Lud. Jul. Fr. Hoepfneri Diatr. in Hugonis civilist. Magazin.* B. III. St. 1. p. 67 - 75.
- \*) De hoc libro cf. adhuc *Stockmann.* in *not. ad Bachii Hist. jur. rom.* I, 2 §. 10.
- t) Vid. similiter *Ant. Cabreros* supra II not. b citat.
- u) Quippe alii seriem plane fortuitam, alii cum *Hottomanno* tripertitam juris sacri publici et privati, alii denique cum Augustino eam quae in Justiniani Institutionibus reperitur sequuti sunt.
- v) *Fragmenta XII Tabularum suis nunc primum tabulis restituta, probationibus, notis et indice munita.* Jac. *Gothofredo* auctore. 1) *Heidelb.* 1616. 4. 2) Auctius et emendatius repetita in *fontibus quatuor juris civilis* §. 82, nr. 8. in *Ev. Otto Th. II, J. C. III.* 3) Sola *Contextus* recensio in *Jo. Aug. Bachii Historia*

*jurispr. Roman. L. 1, c. 2, Sect. 2, p. 36 — 73,*  
ed. nor. \*)

\*) Sic de *Jac. Gothofredo* judicat *Ev. Otto* l. 1.  
„Post tot interpretum — labores putes — novum opus non aggressum fuisse *Jac. Gothofredum* ad quem postremo loco nostra convertitur oratio: is vero hoc opusculo ostendit, nondum exhausta fuisse omnia, neque Spicilegium sed integram sibi messem relictam. Nullus hanc provinciam magis opportune suscipere potuit, quod a priscae eruditionis subsidiis, multisque litteris exquisitis et reconditis erat instructus. Nullus etiam superiorum tanta diligentia rem tractavit, tantoque judicio operas digessit, et idoneis documentis confirmavit ubi vis. Nemo feliciore successu discrevit, quid in his sincerum, quid suspectum foret, aut legem majori sagacitate a superfluis repurgavit. Nemo etiam fragmenta quaeque, tam probabili conjectura Tabulis suis restituit, aut majore fiducia sui de serie earum pronunciavit. — — Quidquid autem prae caeteris praestitit *Gothofredus* ad quatuor potissimum capita revocari potest. *Primum* enim multa priorum oscitantia aut inscitia omissa, ipsis prolatis ceterum verbis supplevit, alibi verba decemvirorum legitima sciente prudenteque consilio repudiata revocavit, varia sine teste in has tabulas ab aliis conjecta removit, inemendata ex melioribus libris correxit, legitima decemvirorum verba, quoad ejus fieri potuit a verbis communibus distinxit, multos denique errores correxit, quorum *octo fontes* in praefatione erudita Lectori exposuit. Deinde ante ipsum plerique, nullo ordine quicquid obvium fuerat congesserant; *Antonius Augustinus* in his referendis Institutionum Justiniani ordinem secutus erat:

*Franciscus Hotomannus* secundum censorii partitionem primo loco, quae ad sacra et religiones pertinent; tum quae publici juris essent; postremo quae privatorum jura continent, pertractarat. Noster vero tum sex testimoniis expressis, tum alia argumentorum fide, maxime a *Caji* sex libris ad leges XII tabularum petita, singula fragmenta suis tabulis restituit, et omnibus in novum ordinem redactis, quasi ad veterem faciem et majestatem suam Corpus illud Legum revocavit. Tertio ubi de mente et dispositione Legum, non idem ei cum caeteris sensus fuerat, utriusque in notis lib. V rationem reddidit. Ultimo tandem loco veterum verborum indicem ad calcem conjecit, qui glossarii instar fungi potest.

- w) *Jan. Vinc. Gravinae Origines jur. civil.* Lips. 1708. 4. et in *Oper. cur. Gottfr. Mascovii* ibid. 1737. 4. Lib. II, c. 23—78.
- x) *Chr. Gottfr. Hoffmanni Historiae jur. Romano Justin.* Vol. I. 1) Lips. 1718. 4. 2) Ibid. 1734. 4. Vol. II, cujus pars prior juris Romani fontes antiquissimos 1) *fragmenta legum regiarum.* 2) *Collectionem legum graecarum.* 3) *Fragmenta XII Tabular.* et 4) *edictum perpetuum* continet. additis notis, quibus legum veterum sensus enodatur atque illarum in Jure justiniano usus declaratur etc. Lips. 1726. 4.
- y) *Leges XII Tabularum suis, quotquot reperiri poterunt, fragmentis restitutae et observationibus critico-antiquariis illustratae* a *Jo. Nic. Funcio.* Rintel. 1744. 4.
- z) *Histoire de la Jurisprudence Romaine,* par *Ant. Terrasson.* p. 94—205.
- a) *Commentaire sur la loi des douze tables,* par *Mall. Ant. Bouchaud.* 1) a Paris. 1787. 4. 2) Auct. T. I et II, ibid. 1803. 4.

- b) Pertinent huc *Funcctii Tr. de pueritia linguae latinae* (Marb. 1721. 4.) p. 82 seq. — *Branchü Dec. I Obs. ad jus roman.* (L. B. 1721. 8.) c. 10 et in *Addend.* p. 233 seq. — *Funcctii Spicilegium literarium, quo recte probatur legum decemviralium restitutio contra Balth. Branchü* (Marb. 1723. 4.) et repetita *Tr. de pueritia latinae linguae editio cui titulus: de origine et pueritia latinae linguae,* (Marb. 1735. 4.) Lib. II, c. 4. p. 253—297, cui etiam adjectum *Spicilegium literarium,* p. 331—355.
- c) *Ev. Otto Diss. de Legibus XII Tabularum c. 8* (quo praecipua XII tabularum capita illustrantur), — *S. Herm. van Idsinga Lib. sing. Varior. jur. civil. c. 1, 3—6, 8, 9, 11, 12, 16, 18, 20.* — *Fragmenta Legum XII Tabularum, quales illae a Jacob. Gothofredo restitutae sunt, brevibus notis et commentario illustrata a Robert. Jos. Pothier: praem. huj. Pandect. Justinian. in novum ordin. digestis T. II, p. 15—140 ed. pr. Par. et Carnut. 1749 f. vel T. I, p. 73—180 edit. secund. Lugd. 1782 f.* — *Aloysii L. B. a Locella tria tentamina ad illustrandas Leges XII Tabular. Vienn. Austr. 1754. 4.* — *Guis. Pasquali Comento su i frammenti delle antiche Leggi delle XII Tavole plebisciti e Sen. Cousulti etc. II Tom. Napol 1784. 4.* — *Leggi delle XII Tavoli esaminate secondo i principi del diritto pubblico e lo stato della Republica Romana dell' Abbate Ludov. Valeriani. Vol. I. Rom. 1796. 4.*
- d) Post *Jacob. Gothofredum* novam legum XII Tabular. restitutionem meditatus est *Jo. Gottl. Heineccius* in his rebus certe peritissimus, sed morte praeventus est. Quae reliquit ad hanc causam Manuscripta pertinentia quaeque auctionis lege ad me pervenerunt, finiunt in Tabula VIII. Quae in illis scitu digna videbantur, exhibuimus in notis textui subjectis.

# Fragmenta Legum XII tabularum.

## Tabula prima.

### De in jus vocando.

#### *Lex I.*

*De necessitate in jus eundi. a)*

Si in jus vocat b) atque eat. c)

Ni it d) antestamino e): igitur f)  
em capito. g)

Si calvitur h) pedemve struit i)  
manum endo jacito. k)

Si morbus l) aevitasvem) vitium  
escit n), qui in jus vocabit jumen-  
tum o) dato: si nolet arceram ne  
sternito. p)

a) *Prius* hujus legis membrum indigitat *Cicero de Legib.* II, 4, „*a parvis*, inquiring, *Quincte didimus: si in jus vocat atque eat, et ejusmodi leges alias nominare.*“ *Alterum* porro et *tertium* membrum restituta sunt: 1) ex *Lucilii Satyra XVII*, cujus duos nobis versiculos reliquos

servavit *Nonius Marcellus* in voc. *calvitur*, qui olim male ita legebantur

*si non it capito inquit, et si calvitur ergo for dominum*

varie dein emendati et quorum postrema verba modo recte ita leguntur „*si calvitur endo ferto manum.*“ — 2) Ex *Festo* voc. *struere*: In XII quod est, *calvitur, pedemve struit: manum endojacito: alii putant significare retrorsus ire, alii in aliam partem* etc. — 3) Ex *Porphyrione* antiquo *Horatii* interprete, qui ad *Horat. Serm. I, 9, vers. 76.*

— — *casu obvenit illi*

*adversarius, et quo tu turpissime? magna exclamat voce, licet antestari? ego vero oppono auriculam; rapit in jus, clamor utrinque undique concursus*

notat: de hoc autem, lege XII tabularum his verbis cautum est: *si vis vocationi testamini, igitur em capito*, quem locum manifeste corruptum varie aggressi sunt Viri docti: optime certe restituit *Lud. Carrio* (*Emendat. I, 14*) e Codice Ms. *Porphyri*. „*Si in jus vocat, ni it, antestator, igitur em capito*“, *Gothofredus* vero (*in Not. et probat. ad h. l.*) ex conjectura ita, ut hic legitur. — Quartum denique et ultimum membrum suppeditat *Gellius Noct. Attic. XX, 1*: „*Sed cur tibi esse visa est inhumana lex omnium mea quidem sententia humanissima, quae jumentum dari jubet aegro aut non sano in jus vocato? Verba sunt haec: Si in jus vocat, si morbus aevitasque vitium escit, qui in jus vocabit, jumentum dato, si nolet arceram ne sternito.*“ (*ab Idsin-Var. jur. civil. cap. III.*)

b) *Si quis aliquem in jus vocaverit.* Loquitur lex (quam omnium primam in XII tabulis fuisse defendunt *Jac. Gothofredus, Ev. Otto*, alii, ex

loco Ciceron. supra laud. advocato simul more, quo et interdicta de primis edictorum, unde descendunt, verbis nominantur) de vocatione in jus *privata auctoritate* facta, quae jam ante leges XII Tabularum latae apud Romanos obtinuit: cui sententiae argumento est crebra violentarum in jus abreptionum mentio apud *Dionys. Hal., Livium* aliosque, qui maxime sub initium Servii Tullii eas commemorant. Sed cave credas eam semper et omnibus in casibus ita rigide fuisse factam, cum moris plurimum fuerit, praesertim inter honestiores, amice prius reos appellare, vel et arbitris disceptatoribus e domesticis integrum negotium committere, ut viderent, an privatos inter parietes peragi posset. *Liv. IV, 9. Cicer. pro Quinct. c. 5.*

An omnes sine discrimine in jus vocare licuerit, quaeritur. Plurimas certe a vocatione in jus exemptiones, quae leguntur tum in *Tit. Dig. de in jus voc.* tum apud *veteres scriptores* originem debere posterioris aevi jurisprudentiae, et vel a praetoribus in edictis propositas, vel interpretatione prudentum introductas putant *ab Idsinga Var. c. 7* et *Heinecc. in not. Ms.* qui posterior tres tantum exemptiones statuit, vel in ipsis XII tabulis jam expressas, videlicet 1) Magistratum qui imperium habet, vocari non potuisse; similiter non 2) Pontificem Maxim. et eos, qui propter loci religionem inde se movere non possunt. *L. 2 D. de in jus voc. L. 13 D. de voc. et excus. Gell. N. A. XIII, 23.* Denique non 3) impuberes et alieno juri subjectos. *L. 22 pr. D. de in jus voc.:* matronas tantum in jus rapi non potuisse, similiter reum non de domo extrahi, sed omnino evocari. Illis qui propter loci religionem inde se movere non possunt, subintelligi nonsolum hos, quibus antiquitus templorum et sacrorum cura demandata erat ita, ut se loco movere non potuerint, sed

etiam servos et libertas sepulcrorum custodes, post *Nerium* (*Anal.* II, 4 in *Ev. Ott. T. J. R.* II, p. 395) adversus *H. J. Arntzenium* (*Misc.* p. 249) multa eruditione ostendit *A. C. Stockmann* *D. de libert. sepulcr. custodib. ad Leg. 2 D. de in jus voc. c. 2.*

Formula vocationis qua potissimum utebantur actores haec erat: *Ambula mecum in jus, eamus in jus, in jus te voco.* *Plaut. in Pers. Act. IV, sc. 9, v. 8. Terent. in Pharm. Act. V, sc. 6, v. 22.* Conf. et *B. Brisson. de formul. Lib. V. Sub init. et de V. S. voc. Vocatio.* Plura qui scire cupit adeat *Jo. Fr. Christii Noct. acad. Obs. 24* et *Jan. Geldermanni Diss. Quaedam de antiqua in jus vocat. ex LL. XII tab. et ed. praet. Harderor. 1778.*

- c) *Statim ito s. sequitor.* „*Atque*“ enim est „*statim s. protinus, sine mora.*“ Particula enim *atque* non complexiva tantum est, sed vim habet plusculam variamque. *Gell. Noct. Att. X, 29: statim, continuo, iblico, celeriter* etiam significat apud *Ennium, Terentium, Virgilium* (*I, Georg. v. 202*) al.

*Gothofredi* restitutionem post alios nuperime improbavit *Unterholtzner* (*in der Zeitschrift für geschichtl. Rechtsv.* II. B. p. 432) qui *Marcilium* fere secutus legi vult: *Si in jus vocat ito, ni it antestamino, igitur em capito, his praesertim argumentis usus, 1) quod in loco Cic. supra lit. a citato a nonnullis rectius ita legatur „didicimus: si in jus vocat, atque alias ejusmodi leges nominare.“ 2) legumlatores Romani nuncquam conjunctivo pro imperativo usi fuerint, adstipulante ei Hugone (Röm. Rechtsg. ed. nov. p. 241) Verbum „statim“ vel aliud simile deesse non posse, in oculos incurrit. Legerem cum *Heinecc. in not. Ms. „si in jus vocaverit, atque ito.“**

d) *Si in jus vocatus non sequitur. Ni per apocopen pro nisi.*

e) *Qui vocavit testes ante adhibito, seu potius, testibus advocatis vocationem in jus repetito. Antestari* significat postulare ab aliquo ut testis ad sit actui cuidam, et hic, ut vocationem in jus factam et recusationem rei testetur. Utuntur hoc vocabulo *Plautus in Pers. Act. IV Sc. 9 v. 10* in *Paenul. Act. V. Scen. 4, v. 51. Asin. Act. II, Sc. 4, v. 74. Curul. Act. V. Sc. 2, v. 23. Horat. Sermon. I, Sat. 9, v. 74. Plin. Hist. nat. XI, 45.* Vetus glossar, *antestari, μαρτυροῦσαται.* *Antestari* autem tum activa tum passiva significatione protulisse veteres *Priscian. VIII* testatur, qui ex *Livio* haec verba citat: *Impubes neque libripendens esse potest neque antestatus, i. e. προδιμαρτυροῦσαται* seu ad testimonium adhiberi. — Caeterum praeferram cum *Funcio antestator* pro *antestamino.* *Salmasium* secuti *Gravina* et *Heinecc.* pro „*antestator*“ malunt *antestator* i. e. testes facito circumstantes, *am* enim particula proximitatem significat ut in *anterminis, amsegetes* et *amsanctis.* Sed verbum „*antestor*“ nullibi reperitur.

Hic circumfertur in antestatione procedendi modus: Actor praesentes, ut negotii testes haberet, rogabat: *Licet antestari.* Non recusantes auriculam praebebant respondentem „*licet.*“ Admotis ergo digitis imam unicuique nellicabat auriculam vocans et dicebat: *memento vel memor esto sc. earum rerum quae geruntur, ut mihi in ea causa testis sis.* Sic quilibet antestatus etiam affirmabat *memini* aut *meminero.* Antestationis exempla proferuntur ex *Plauti Curcul. V, 2, 22. Persa IV, 9* et notissimo illo *Horat. loco Serm. I, Satyr. 9* (vid. supr. not. a). Vid, *Henr. Bornii* *Epist. de antestatione ap. Romanor. Lips. 1737. ab Idsinga Var. jur. civil. c. 3—7.*

Sed quid tum, si antestatus testimonium declinabat, et non licet respondebat? E *Plauto* discimus, vocantem ad imprecationem devenisse sc. *Jupiter te male perdat, intestatus vivito* etc. Idem autor est *Servum* non potuisse in testimonium vocari.

Quod caeterum asserit *Jac. Raevardus ad XII Tab. C. V, p. 27*: „*infames sine antestatione in jus rapti potuisse*“ nondum liquet. Ex loco *Plauti in Pers. IV, 9, v. 10* id certe non sequitur. Atque, si in infames injuriae proprie committi non poterant, certissime tamen illis vis potuit inferri illegitima. Sed antestatio ideo lege praescripta erat, ut constaret, vocatum vocationi parere noluisse, si obtorto collo in jus raptus de injuria sibi illata dein querebatur.

- f) *Tum, deinde.* Apud antiquos ait *Festus igitur pro inde, et postea et tum.* Sane vox igitur hac notatione apud *Plautum* non uno loco ut in *Casina II, 2, 39. Auxphyt. I, 1, 45. Aul. III, 5, 24 et Mostell. III, 1, 35.*
- g) *Eumprehendito.* *Em* pro *eum* *Festus* voc. *em.* *Capere* i.e. *prehendere*, unde *capsit* prehenderit. Qui cum *Cujacio Observat. VII, 16* hoc legis membrum cum eo quod sequitur in unum contrahunt, to *capito* „*obtorto collo in jus rapere*“ interpretantur: qui vero membra distinguunt, ut *Gothofredus, Funccius*, alii, putant, *capere* non significare aliquem obtorto collo in jus rapere, quod vult lex in membro tertio verbis „*manum endo jacito*“, sed „*sistere tantum, implicare, detinere via publica pergentem, vi imaginaria quasi ad judicem trahere.*“ Mihi quidem hoc *capere* de apprehensione praevia antestatione, illud, *manus injicere* vero, quod legitur membro sequenti de apprehensione sine antestatione intelligendum videtur, quamvis negare nolim, in casu „*quo calvitur seu frustratur reus*“ majorem vim licitam fuisse.

h) „*Si moratur et frustratur.*“ Gajus in *L. 233 D. de V. S.* uoco non legas, ut habet vulgata, similiter Florentina „*si calvitur vel moratur vel frustratur*“, sed ut est in nonnullis antiquis codicibus „*si calvitur, id est moratur et frustratur?*“ Atque addit Gajus „*Inde et calumniatores appellati sunt, quia per fraudem et vexationem alios vexant litibus.*“ Hinc verbum *calvitur* de eo tantum casu intelligendum puto, quo in jus vocatus fraude adhibita vocationi non paret i. e. quo quidem se parere velle simulat, at inter hanc simulationem evadere meditatur, vel si mendaces praetulerit excusationes. *Calvitur* a *calvor* i. e. decipio, frustror.

i) „*Fugit vel se loco non movet*“ Gothofredus simpliciter „*fugam adornat*“ Funccius „*aufugit*“ et ita plurimi, pauci cum *Gravina* „*pedem figit* i. e. resistat, repugnet, renitatur, quod quidem legi magis convenire videtur. Autor dissensus est ipse *Festus* qui *pedem struit*, inquit, *in duodecim significat, fugit, ut ait Ser. Sulpicius*“ et dein alio loco „*struere antiqui dicebant pro adjicere, augere, unde industrios quoque, (et instruere).* — — *aut in duodecim quod est, si calvitur pedemve struit: manum endo-jacito, alii putant significare retrorsus ire, alii in aliam partem, alii fugere, alii gradum augere; alii minuere; ac vix pedem pedi praeferre, otiose it, remoratur.*“ Atque jam Jureconsultos Romanos de vera harum vocum significatione inter se dissensisse ex *Festo* comperimus. Quare ea accipienda significatio, quae legi magis conveniat: atque satis superque indicant usitatae elocutiones „*insidias struere*“ *advocationem struere* (apud *Ulpian.* in *Coll. Leg. Mos. et Rom. VIII, 7* verba „*pedem struere*“ de quacunque obstinacia rei extra calumniam intelligenda esse.

Monet *Heinecc.* in *not. Ms.*, quo certe cla-

rior redditur legis sententia, omnino competisse in jus vocato excusationes legitimas, ad quas vocantem respicere oportuerit, atque contentum esse, si reus se alio certo die cum eo in jus venturum promiserit et pro hoc promisso caverit, et *τὸ calvitur* referendum proprie esse ad excusationes propositas quidem, ast non legitimas, vel legitimas quidem ast mendaces, *τὸ pedem struere* vero ad aliam obstinaciam, nullis propositis excusationibus.

k) *Manum ei injecto* vel *manum ei injiciendi jus esto* ut vult *Gothofred.* *Endo* dicebant veteres pro *in*. Sic apud *Festum* „*endo procinctu* i. e. *in procinctu*. Manus injectio hic est, quod obtorto collo in jus rapere vocabant Romani. Nec incivilis aut injuriosa videri potest haec vis, quam lex permisit. Atque nulla in hoc legis membro mentio est *antestationis*, quam et hic praeire debuisse putat *Pothier*: lex enim loquitur de *calumnia* et *obstinacia* in jus vocati coercenda, et in hoc tantum casu *vim* admittit. Caeterum et hanc manus injectionem licitam fuisse patet, si post simplicem recusationem et factam ideo antestationem reus ad calumniam defugiebat, vel in obstinacia perseverabat, vel immo fugam meditabatur.

l) *Si corporis imbecillitas*, non morbus proprie talis vid. infra loc. *Gell.*

m) *Aetasve senilis.* *Aevitas* ab *aevo*, longa vita, antiquum verbum a quo per contractionem *aetas*. *Cic. de LL. 111.* „*Censores populi aevitates, soboles etc. censento.*

n) *Impedimento sit.* *Escit pro erit.* vid. *Festum*.

o) *Vectabulum quod adjunctis pecoribus trahitur*, seu ut hodie loquimur „*ein Fuhrwerk.*“

p) *Si non vult, vehiculum tectum et instratum reo dare non cogitur.* *Arcera* est auct. *Gellio* *plaustrum tectum undique et munitum*, et teste *Var-*

*rone de ling. lat. IV, 31* tale vehiculum inde arceram appellatur, quod ex tabulis erat factum, ut *arca*. *Sternere* vero instrare. Pertinet huc elegans fragmentum *Varronis in Gerontodidascolo apud Non. c. 2*, quod optime certe ita restituit *Heineccius*: „*vehebatur cum uxore semel aut bis anno, quum arceram si non volet non sternere*“ in quo loco *Varro* alludit ad verba decemvirorum. Atque jam tum Romae vehicula ad modum nostrorum „*Fiaker*“ praesto fuisse cuihabet desideranti ex ista XII Tabul. sanctione patet.

Optimum certe commentarium ad hoc integrum legis membrum exhibuit *Gell. N. A. XX, 1*: „*An tu forte morbum appellari hic putas aegrotationem gravem cum febre rapida et quercera; jumentumque dici pecus aliquod unicum tergo vehens? Ac propterea minus humanum fuisse existimas aegrotum domi suae cubantem jumento impositum in jus rapi? Hoc mi Favorine nequaquam ita est. Nam morbus in lege non febriculosus, neque nimium gravis, sed vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiae demonstratur, non periculum vitae ostenditur. Caeteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem legum istarum scriptores alio in loco (Tab. 2) non per se morbum sed morbum sonticum appellant. Jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam quod adjectis pecoribus trahebatur, veteres nostri jumentum a jungendo dixerunt.*“

Caeterum ex hoc legis membro facile demonstrari posset, jure Romanorum antiquo adversarium tum obvium tum domi latentem in jus vocari potuisse, his exceptis qui morbo *sontico* laborabant, onus vero transportandi in jus vocatum vocanti incubuisse, si prior morbo vel aevitate ab itione in jus excusabatur. Sed cum scitum non esset domo sua vocatum extrahere, ut contumax punire-

tur necesse erat: quae vero fuerit contumaciae poena, nescitur.

## *Lex II.*

### *De excusationibus. a)*

Si ensiet b) qui in jus vocatum vindicit c), mittitod. d)

Assiduo vindex assiduus esto; proletario quiqui volet vindex esto. e)

Endo via f) rem uti pacunt g)  
orato.

- a) Primum et alterum legis membrum restituta sunt, ex *Ciceron. Topic.* (L. 2) ubi ita corrupte olim legebatur: „*Cum Lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem locupleti.*“ Cum enim manifeste locus ille per imperitiam librariorum depravatus sit, nec loqui potuerit *Cicero* de lege *Aelia Sentia* dudum post ejus mortem lata, et quae ad fidejussores pauperum aut divitum nullatenus pertinet, illum ita restituit *Gothofredus* „*Cum lex E. T. Ia: Si ensiet assiduo*“ etc. id est cum lex e tabula I, seu caput illud tabulae primae, quod incipit ab his verbis „*Si ensiet*“ assiduo vindicem assiduum esse jubeat. Aliam adhuc emendationem loci *Ciceronis* proposuit idem *Jac. Gothofred.* „*Si superior, ait, emendatio non placet, placeat haec: legendum videri Lex Aelia Sentia.*“ Nempe a tripartitis *Sexti Aelii*, ubi leges *XII Tabularum* cum interpretatione et legis actionibus legebantur, et unde ferme leges *XII Tabularum* petitas tum in foro credibile est. Neque temere est quod *Pomponius* hunc librum existitisse aetate sua scribit,

eumque velut cunabula juris continuisse. Caeterum eodem modo Cicero legem Aeliam Sentiam dixerit, quo modo ab eodem Sexto Aelio Jus Aelianum. Posteriorem emendationem quoque probat *Cardinalis Norisius de Cenotaphio Pisano* Diss. III, c. 9, vocem *Sentia* a sciolo quodam adscriptam putans, cum alii contra, in quo et jam praverunt *Hotomannus Ant. Rom.* lib. 1 et *Augustin. de legib.* qui voces „*Aelia Sentia*“ auctoribus libris antiquis plane inducendas autument. Quos secuti sunt *Ernesti in clavi Cic.* p. 6 et *J. v. Vaassen anim. crit. ad fast. Rom. Sacr.* p. 68, Atque uterque, neque ullam *Gothofredi* lectionum, neque eam *Cannegieteri Obs. Jur. Rom.* I, 2 admittendam esse fortissimis argumentis evicit, sed simpliciter legendum: „*Cum lex assiduo*“ etc. ut legis vocabulo leges XII Tab. jam intelligantur. — 2) Ex *Gajo* in L. 22, §. 1 *D. de in jus vocand.* „*Qui in jus vocatus est, duobus casibus dimittendus est: Si quis ejus personam defendet: Et si dum in jus venit, de re transactum fuerit.* — 3) Ex *Gellio N. A. XVI, 10. Q. Ennius* verbum hoc „*proletarius*“ ex XII tabulis vestris accepit: in quibus si recte commini, ita scriptum est: *assiduo vindex assiduus esto, proletario civi, quique volet, vindex esto.* — Tertium denique legis membrum ex *Gajo* loc. cit. et *Auct. ad Herenn.* I, c. 13 desumptum est. Locus *Auct. ad Herenn.* vitiose olim ita legebatur. „*Rem ubi pagunt orato, ni pagunt*“ etc. Apud *Priscianum* Lib. X mendosius adhuc, confuso nempe hoc et sequente capite „*Rem ubi pagunt orationi pagunt*“ etc. Restituit eum *Gothofredus*, ut hic legitur. Ad locum *Prisciani* monet, hunc ita ei legendum videri „*Rem uti pacunto rato pacunto.*“ Caeterum alii locum *Ciceronis* diverso modo legunt, *Scaliger ad Fest.* v. *plorare* „*rem ubi pagunt, oranto.*“

*Franc. Pithoeus, Marcilius, Rittershus.*  
 „Rem ubi paciunt ratum esto,“ *Noodt (de pact.  
 et transact. c. 1, p. 483)* „rem ubi pagunt ora-  
 tione, ratum esto.“ Alii aliter.

b) *Si autem sit. Ensiet pro sit,* quod frequens apud  
 Comicos.

b) *Qui in jus vocatum vindicat. Vindicat pro vindi-  
 cat. Lucret. l. 3, v. 895. Et vindex inquit  
 Festus, ad hunc locum respiciens, ab eo quod  
 vindicat quo minus is qui pressus ab aliquo est  
 teneatur.* Caeterum duplici potissimum sensu ver-  
 bum *vindicare* occurrit apud scriptores veteres.  
*Primo* significat *punire* aut *castigare*. Quo sensu  
*Tullius de amicit. c. 12.* „Omni supplicio vin-  
 dicare.“ *Pro Quinctio c. 7* „severe ac vehemen-  
 ter vindicare.“ Altero et prorsus contrario sensu  
*liberare* atque *defendere*, ut idem maximus orator  
*pro Sulla c. 9* „neque honoris neque aetatis ex-  
 cusatio vindicat a labore.“ Sic „vindicare in  
 libertatem.“ Vid. *Ejusd. ad famil. II, ep. 5* et  
*Liv. III, 45.* Varia certe est vindicis significatio.  
*B. Briss. de V. S. ad h. v. Cujac. Obs. III, 4*  
 et *J. Voorda elect. 25.* Ea plane hic omitten-  
 da, qua vindex pro assertore seu defensore sumi-  
 tur (*Cic. Act. II, ep. 2 ad fin.*) et *de LL. II, 17,*  
 quamvis non desint; qui eam legi propriam pu-  
 tent, autore praesertim *Boethio.*

Sed quo modo vindicari possit reus, videamus.  
 Volunt nonnulli, inter quos etiam est *Lambinus*  
*ad Horat. de arte poet. p. 442* numeratione ejus  
 quod reus debebat, quibus vero se opposuit *Mei-  
 sterus* *progr. vindex et vas in Opuscul. I, 289,*  
 qui *pro* vindicare de *fidejussione* vel *sponsione* pro  
 reo sola intelligendum suadet, quam in sententiam  
 quoque plurimi duodecim tabularum interpretes  
 ante et post eum ivere. Quid vero fidejubebat,  
 quid spondebat vindex? Est quorundam opinio,  
 vindicem *de judicio sisti* seu de reo in judicio

sistendo cavisse. *Gravina de LL. XII Tab. et Gothofred. in not. ad h. loc.* Negant hoc alii, inter quos iterum primum locum tenet *Meisterus*, cum hac sententia omne discrimen inter *vindicem* et *vadem* tollatur, et *vindicem* intelligit, qui *obligationi, ob quam in jus vocatus quis vel pressus tenebatur, in majorem securitatem mediante stipulatione accedens, vocatum liberabat*, ita ut *vindicis jura fuerint fidejussoris jura*.

Numeratio sane admitti non potest: ea enim *vocatus in eum redigeretur statum, in quo vocanti nulla plane vocatio amplius competere posset, habenti quod volebat, adeoque non opus fuisset, ut lex vocanti injunxerit missionem, si esset quis, qui vindicaret.* Sed displicet similiter accessio *fidejussionis obligationi, cum non intersit creditoris, habere securitatem: velit solutionem.* Atque sermo non est in lege, nisi de liberatione a necessitate in jus cum actore ambulandi, quae *fidejussione pro debito ipso effici nequit.* Sed ut definiri possit, quid *sponderit vindex ante omnia inquirendum est, quo modo a vade distinctus fuerit.* Et quidem, si hic locus XII Tabul. jungitur cum loco *Gaji Inst. Comm. IV, §. 21, vindex est qui pro reo intercedit ne caperetur, vel in jus eundi causa vel judicati exequendi, vas vero, qui pro jam capto intercedit, ut dimitteretur.* Nuncquam itaque ejusmodi *fidejussio ad ipsum debitum referri potuit, pro omnibus tantum damnis interponi, quae ex eo oriebantur, si vocatus non alio die in jus venisset, vel judicato intra certum tempus non satisfecisset.*

d) *Dimittito scilic. jam captum.*

e) *Ei qui in classe est, ex classicis tantum vindex esse potest, ei vero qui infra classem, quisque.* *Vok „assiduus“ non unam habet significationem. Festus h. v. „Assiduus dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedissee videatur,*

alii assiduum locupletem; qua multorum assiduum putarunt, alii eum qui sumtu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimant.“ Varro de LL. 6. „Qui adest assiduus vocatur.“ Isidor. Origin. X, hi v. „Assiduus dicebatur apud antiquos, qui assibus ad aerarium expensum conferendis praeerat, et in negotiis quoque publicis frequens: unde et per s non per d scribendum est.“ Et recte mihi videtur *Dacierus* in not. ad *Fest.* 70 assiduus derivare ab *adsidere*, quod talis reipublicae adsidebat, aderat, praesto erat. Sed nolim cum *Funccio* aliisque „locupletem“ et „assiduum“ plane eundem habere, cum manifesto in lege assidui et proletarii sibi opponantur, proletarii vero sensu generaliori, quod omnibus notum est, ii dicantur, qui infra classem sunt, seu ut alii volunt in sexta et ultima classe Nullaque hic distinctio inter proletarios et capite censos admittenda, quam supra pag. 52 ex *Gellio* retulimus, neque *Nonii* c. 1, nr. 342 peculiaris de proletariis definitio admittenda, qui „proletarii dicti sunt (inquit) plebeji qui nihil reipublicae exhibeant sed tantum prolem sufficient.“

In classicis caeterum nullum discrimen fuisse ex lege intelligitur, ita ut civi ex una classe in jus vocato, quis ex alia classe vindex esse potuerit. Audiendus tantum non erat proletarius seu homo infra classem qui classicum vindicare volebat.

- f) *In via* sc. ad praetorem. *Endo pro in.* Monuit *Hugo Römisch. Rechtsg.* ed. nov. pag. 60) verba „in via“ a *Jac. Gothofredo* sine ulla probatione in textum illata esse. Sed adstipulatur *Gajus* l. c. verbis „dum in jus venit.“
- g) *Quomodo, seu quidquid de causa transegerint. Pagunt pro paciscuntur. Festus* v. *Orcus.* Plane ejicienda putat *Heinecc.* in not. *Ms.* verba „rem uti“ et „orato“ et legendum „in via ubi pagunt mittito.“ Vid. not. sequent.

h) *Agunto. Orare pro agere. Festus h. v. Orare antiquos dixisse pro agere, testimonio sunt, quod et oratores, quod reipublicae mandatas partes agebant. Et hodie adhuc „causam orare“ dicimus pro „causam agere.“* Mavult tamen ipse *Jac. Gothofred. rato* s. potius *ratato* i.e. *ratum esto* pro „oranto“, nempe quod in praetoris personam hoc et proxime sequentia legis concepta fuisse haec primum verba ostendant „*causam conscito*“: mox illa „*cum perorant ambo praesentes*“ denique haec „*stlitem addicito*“; ut itaque capitis hujus haec sententia omnino fuerit: praetorem hoc ratum habere debere quod litigatores, dum in jus iretur, pacti fuerint, et ut in lege solonia erat, de eo iudicium non constituere. Sed merito *Gravina h. l.* hanc magis ingeniosam quam necessariam atque probatam fictionem ridet, et principaliter iterum *Gajus* autor est, ne possit admitti. Sed dubito, quin hic locus recte intelligatur ab illis, qui decemviros de transactione de lite ipsa loquutos putant ut, *Pothierus l. c.*, alii (tunc enim idem est ac si solutum esset), vel ab his qui, quod fuerit in via transactum, generaliter confirmare voluisse decemviros autumant, quod volunt *Funccius Hoffmannus*, alii. — Altera est exceptio a necessitate sequendi in jus, de qua loquuntur decemviri, quamque similiter *Gajus* proposuit. Quare non male mihi divinasse videtur *Heineccius in not. Ms.*, qui primum et tertium hujus legis membrum in ipsis duodecim Tabulis conjunctum fuisse putat, ita ut praeter vindicem transactio tantum in via reum a necessitate sequendi in jus liberare potuerit. Vel enim membrum tertium ad legem quae sequitur transferendum et cum ejus membro primo jungendum erit, vel ita interpretandum. Cujus vero generis ista fuerit transactio facile liquet. Promittebat scilicet reus, se alio certo die cum actore in jus venturum,

*Lex III.**De cognitione Praetoris. a)*

Ni ita paicunt b) in Comitio aut in foro c) ab ortu ante meridiem d) causam conscito e), cum perorant ambo praesentes. f)

Post meridiem praesenti stlitem addicito. g)

Sol occasus suprema tempestas esto. h)

- a) Exstat primum legis membrum in *lib. 2 ad Herennium* cum fine legis praecedentis ita conjunctum: „*Rem uti pagunt orationem pagunt; in comitio aut in foro ante meridiem causam conjicito*“ quem textum corruptum ut supra observavimus *Jac. Gothofredus* ita restituit, ut novam legem ab his verbis incipiat: *ni ita pagunt*, firmaturque haec lectio auctoritate *Quinctiliani Inst. orat. I, 6.* „Cum in XII Tabulis legeremus: „*Ni ita pagunt.*“

Reliqua hujus legis membra exstant apud *Gell. Noct. Att. XVII, 2.* „In XII Tabulis, inquit, verbum hoc ita scriptum est: *Ante meridiem causam conjiciunto: post meridiem praesenti stlitem addicito: sol occasus suprema tempestas esto*“, et *Censorin. de die natal. c. 24.* Est in XII Tabulis scriptum sic: *Sol occasus suprema tempestas esto.*

- b) „*Nisi causam ita composuerint.*“ *Gothofr.* in paraphrasi habet „*si neque vindex aliquis sit, neque de re in via transactum sit*“ ut hoc novae legis membrum plane cohaereat cum ultimo membro legis praecedentis. Omittunt plane τὸ „*ita*“ *Fr. Pithoeus, Th. Marcilius* et *Conr. Rittershusius. Scaliger ad Fest. voc. plorare* legit „*nei*

pagunt“ quam lectionem omnibus praefert *Heinecc. in not. Ms.*, ab ea plane sententia discedens, quam pridem foverat in *Antiq. Jur. Rom.* IV, 6, 19. Non obstat unius Quinctiliani auctoritas, cum rebus stantibus de loci corruptione facile quaestio moveri possit. Sermo est in hac lege, quid faciendum, cum ad praetorem ventum sit. Non poterant venire ad praetorem, qui de lite jam in via transegerant: hinc et membrum ultimum legis praecedentis de transactione de vocatione in jus, eaque sola interpretati sumus. Atque notum est, officium magistratus apud omnes antiquitatis populos, a proponenda litigantibus transactione postquam eos audierat, coepisse. Hinc verba initialia membri hujus legis ita intelligenda sunt, ut, postquam in jus ventum esset et partes iis auditis a praetore propositam transactionem non accepissent, causam orarent. Atque haec optime respondent ordini in Pandectis et Codice servato, ubi primum agitur de in jus vocando dein de pactis et transactionibus, postremum de postulando.

- c) *In comitio aut in foro.* Comitium a coeundo videtur, quemlibet coetum aut conventiculum significare; sed locus erat Romae in foro juxta curiam (*Liv. I, 36*) ubi causae disceptabantur et a populo comitia habebantur. *Varro de LL. IV, 32.* „Comitium ab eo, quod coibant eo comitis curiatis et litium causa.“ Differt comitium a foro ut pars a toto; hic forum significat eum fori locum in quo judicia exercebantur, varias caet. fori significationes vid. ap. *Fest. v. forum.* Quod vero decemviri „in comitio aut foro“ dixerint, inde venire videtur, cum et saepissime in comitio seu in loco fori comitiis proprie destinato judicia exercerentur.
- d) *Ab ortu solis usque ad medium diem.* Et meridies nihil aliud est ac medius dies. *Liv. Orat. c. 47. Nor. I, nr. 299. Varro de LL. V, 2.* Quare et

*Funcç.* recte edidit „*meididiam*“ observans, serius Romae quam in Graecia horarum observationem contigisse, et in XII Tabulis ortum nominari tantum et occasum, post aliquot annos meridiem quoque adjectum fuisse teste *Plinio hist. nat. VII, 60*, meridiem vero etiam in XII tabulis esse notatum, sed tantum per divisionem temporis a solis ortu usque ad ejus occasum per „*medium diem*.“

- e) *Causa cognoscatur vel causam cognoscito.* Sequutus est *Gothofredus Aldi* editionem *Gellianum* quae habet „*causam conscito*“ quae quoque lectio recepta est in edit. *Bipont.* Sed jam monuit *Gronovius*, libros scriptos aut „*conjiciunt*“ aut „*coniciunt*“ aut „*comciunt*“ habere, ac praefert *Brixianum* editionem in qua est „*conjicito*“ quod quoque *Scioppius* ad oram *Gellii* probavit. Quare et omnem ratiocinationem *Gothofredi* cadere putat *Ev. Otto*, quod verba haec ad praetorem ipsum jus dicentem referre oporteat, et alios esse qui perorant, alium qui perorantibus de causa cognoscat: neque enim reos tantum causam conjicere, sed praetorem quoque dum audit conjicere dici: neque conscire causam pro cognoscere latine dici autore *Turnebo advers. XIII, 27*: omnes itaque *Gellii* codices vitiosos esse, qui habeant „*conscito*.“

Missis aliorum lectionibus ut *Marcilii*, qui vult „*consciscito*“ et *Raevardi*, qui legit „*gnosscito*“ omni auctoritate destitutis, et insuper habita *Gravinae* pro *Gothofredo* defensione ab *Ev. Ottone* refutata, id tantum notamus, interpretes in duas ire partes, cum alii cum *Gotho*do verbum apud *Gellium* quomodocunque scriptum de *cognitione praetoris*, alii illud de *causae coniectione* intelligant ut *Ev. Otto*, *Funccius* et *Bouchaud*. Atque haec posterior certe sententia praeferranda, legendumque non „*conscito*“ sed „*consciunto*“ ita ut legis sanctio non ad judi-

cem, ad partes potius referenda sit. Eamque sententiam *Ev. Otto* his adhuc sustinet argumentis: „Ordo, inquit, iudiciorum id postulabat: prius enim argumentum causae strictum et per indicem praetori et reo erat exponendum, idque per editionem actionis fiebat, quae futurae litis speciem demonstrat *L. 3 C. de edendo*; tunc ipsa causa per postulationem et litis contestationem agenda, et demique lis praesenti addicebatur i. e. actione et iudice datis iudicium constituebatur. — — Antequam enim causa ageretur quasi per indicem rem exponebant, quod ipsum dicebatur causae conjectio, quasi causae in brevi coactio. *Gell. Lib. V, c. 10.* cum ad iudices conjiciendae consistendaeque causae gratia venissent. — — Ergo causae conjectio brevis erat narratio et *δήγησις* quae in foro attico a pugilum statu *προζόλη* appellabatur. Hac praemissa ambo praesentes perorabant, i. e. agebant, petebant, postulabant dum actor desiderium suum in iure apud eum qui iurisdictioni praeerat exponebat, reus actoris desiderio contradicebat, ut ait *Ulpian.* in *L. 1, §. 2, D. de postul.*“

Certe placere possent haec, nisi admixta haberent, quae procul dubio seriori iuri debentur, quorsum imprimis pertinet tum actionis editio et postulatio, tum causae conjectio. Atque hoc tempore omnia adhuc de simplici et plano agebantur, ut verbum „*consciunto*“ non intelligendum sit, nisi de expositione juris summaria ab utraque parte facta, qua miscebat praetor quaestiones necessarias, et ex omnibus sibi notari iubebat, quae ad rem pertinere viderentur.

Ne aliquid intactum relinquamus: mavult *Hugo Rechtsg. ed. nor. p. 210* „*conscito*“ ut idem sit quod „*decernito*“: sed sermo est de iis quae fiunt ante meridiem. *Decernito* vero pertinet ad ea quae post meridiem fiunt.

f) *Cum ambo litigatores praesentes perorant.* Addi-

dit haec verbe *Gothofredus* ex conjectura: *Gellius* non habet. Plane omiserunt *Funccius*, *Bouchaud*, alii. Receptam tamen vidimus *Gothofredi* additionem in editione *Gelli* *Bipontina*,

- g) *Post medium diem praesenti litem addicio*. Veteres enim „*stlitem*“ pro „*litem*“ dicebant. *Festus* voc. *Sluta*. *Gothofred.* in *paraphrasi* exhibet: *P. M. etiamsi unus tantum praesens sit praesenti actionem dato, iudiciumque constituito*. Bonum *Gothofredum* hic dormitasse putat *Heinecc.* in *Not. Ms.* vixque praetorem reo praesenti actionem dare potuisse, quae actori tantum competebat. Et quid de actionis datione tempore XII Tabularum, quo nequidem actiones legitimae erant, nedum actiones, quae autore *Gajo* in *Inst. Comm. IV*, has demum sequebantur? Quare et *Funcius Scaligerum* ad *Fest. v. plorare* sequutus edidit „*praesentibus ambobus*“ hoc praesertim nissus argumento, quod veteres teste *Nonio c. 2, nr. 66 et 660* pro „*praesentibus*“ dixerint „*praesente*“ ut idem sit, quod praepositio „*coram*“ eg. *absente nobis, praesente nobis* indeque expunctum esse to „*ambobus*“ a librario antiquiorum litterarum experte, propter numerum non convenientem alienum forsitan et superfluum ei visum. Plurimi *Gothofredi* lectionem sequuntur, de ipsa vero legis sententia varie sentiunt. *Gothofredus* ipse et post eum *Gravina*, censent, hoc tantum voluisse decemviros, ut absente eo qui in jus vocatus est, et usque ad meridiem expectato, praetor actori praesenti iudicium daret, id est iudices apud quos causa disceptaretur et formulam, secundum quam iudicarent. Alii ut *Pothierus Pand. I, p. 80* sensum legis hunc esse putant, ut praetor adjudicare debeat *praesenti id quod intendit, absens omnino causa eadet*: Suadete hoc ipsa legis verba „*litem addicio*“ quae sane plus aliquid significare

videantur quam *judicium dato* et passim apud veteres autores legi, poenam deserti vadimonii fuisse amissionem litis. Et illi etiam qui „*praesentibus ambobus*“ legunt, de sententia verborum „*stlitem adicito*“ non inter se conveniunt,

Integra Lex loquitur de illis quae *in jure* fiunt, lex quae sequitur de *in judicio* peragendis. Utrumque vero valde differi. Et hoc tempore ad illa quae *in jure* fiebant ultimo actu pertinebat tum *causae decisio* cum omnia *liquida essent*, tum *judicii constitutio* in *illiquidis*, tum denique *procrastinatio*, si eo die *in jure* non omnia peragi poterunt. Quare verba „*stlitem adicito*“ tum intelligenda sunt de ipsa causae decisione, tum de *judicii* constitutione, tum demum de *procrastinatione*. Et alteram diei medietatem lex destinaverat causis perorandis, alteram *judicandis* illis. Jam poterit defini, quo modo *Gellius* scripserit „*praesente ambobus*“ vel *praesenti*, cum in nonnullis editionibus et *praesente* legatur, in nullo „*ambobus*.“ Non una enim serie omnia peragebantur, et peroratio causae et ejus *judicatio*, sed interveniente spatio unius saltim horae seu plurium horarum. Atque publicationem sententiae et *judicii* constitutionem sequenti tempore etiam factam esse scimus, una tantum partium praesente; non una est ratio, cur idem tempore XII Tabularum factum statuamus. Non opus erat *advocatione partium*, cum lex ipsa terminum definiisset, scilicet post medium diem, qui itaque non comparuisset vel actor vel reus sibi imputari debebat. Et sane nulla alia contumaciae poena cogitari poterit, nisi, ut *judicio* constituto exceptiones contra *judices* datas, is qui non comparuisset, perderet. Qua ratione et apud *Gellium* perbene „*praesenti*“ legi posset, sed vix credendum, fuisse, ut actor, quem semel captum haberet reum, iterum dimitteret, atque *vadimonii* ordinatio de qua loquitur sequens *tabula* fieri non

potuisset. Quare probo lectionem „*praesente am-  
bobus*“ eo modo, ut actor in jus vocatum reum  
captum teneret usque ad stlitis addictionem, et  
dein iudicio constituto usque ad vadimonium prae-  
stitum, seu si procrastinatio fiebat usque ad ter-  
minum quo in iure omnia ordinata essent.

- h) *Solis occasus supremus seu ultimus sit terminus  
exercendorum iudiciorum.* Sol occasus i. e. sol oc-  
cidens. *Tempestas pro tempore* frequenter dixe-  
runt antiqui. *Festus* h. v. *Varro de LL. VI,*  
*3. Supremum* hic significat extremum. *Festus*  
voc. *Supremum.* Mutuatam vero esse hanc legis  
dispositionem a iure Graeco probat *Petit. leg.*  
*Attic. p. 31.*

---

## Tabula secunda.

### De Iudiciis et Furtis.

#### Sectio prima.

#### De Iudiciis.

##### *Lex I.*

##### *De Vadum et subvadum datione. a)*

— — — — —  
— — — Vades b), subvades c) —  
— — —

- a) Istam legem, quae plane desideratur, de *vadum et  
subvadum* constitutione s. potius de *vadimonio*  
dando locutam esse opinatur *Gothofredus* loco  
*Gellii N. A. XVI, 10* „*Proletarii et Assidui et*

*Senates et Vades et Subvades evanuerint, omnisque illa XII Tabul. antiquitas*“ ductus, atque in paraphrasi (quae non est hoc loco paraphrasis) ejus sententiam ita exhibuit: *Judicio constituto iudiceque adito vades et subvades iudicio sistendi utrimque dantor, iique sistere tenentor.* Contra *Heineccius in not. Ms.* vult, in parte priori legem de juramento a iudice arbitrove praestando, in posteriori de vadimonio sancisse. Putarem, huc pertinere quae referuntur a *Gajo Comment. IV, §. 84.* „*Qui autem in jus vocatus fuerit ab adversario, nisi eo die finis fuerit negotio, vadimonium ei faciendum est, ut promittat, se certo die adfuturum.*“ Sed certe non integram legis sententiam *Gajus* exhibuit: vadimonium enim tum quoque praestandum erat, cum iudex vel arbiter postularetur, vel ex lege dandus esset, atque praetor non in continenti litem decidere posset, et quidem post ordinatum iudicium, arbitriumve. Duo itaque capita legis facerem: Unum

*Si eo die finis non fuerit negotio vadimonio dato iittito.*

Alterum:

*Judice arbitrove constituto utrimque vadimonia dantor.*

- b) *Vadem* definit *Festus h. v.* *Sponsorem datum in capitali*: pariter *Ausonius*. Contra *Varro*, quamvis dissimiles esse agnoscat *sponsorem, praedem et vadem*, indistincte tamen *vadem* definit, non illum qui in iudiciis civilibus et numariis, verum etiam eum qui extra iudicia in praetoriis stipulationibus fidejussor adhibebatur. *Vas* enim inquit appellatur, qui pro altero vadimonium promittebat. A quo (i. e. exinde) cavere postea lege coeptum est ab his qui praedia venderent, ne vades darent, i. e. ut venditor qui pro evictione cavet, non teneretur adhibere fidejussores.“ Sed aetas

fuit apud Romanos, qua omnes qui pro aliis intercedebant *vades* appellabantur, ita ut appellatio *vades* sit ea generalis omniium pro aliis intercedentium, qui autore *Gajo* (*in Instit. Comm.* III, § 115) secundum modum, quo intercedebant in *sponsores*, *fidepromissores* et *fidejussores* dividebantur. Dein, ad intercessores certi generis primum restricta appellatio, postremo, quo fato nescitur, plane evanuit. Hoc loco non nisi eum significare potest, qui pro una vel altera parte *de in iudicio sisti die dicto* intercedebat. Et moris apud Romanos fuisse legimus, ut actor vadaret reum, i. e. iudicio constituto ab eo peteret *de in iudicio sisti fidejussorem*, quem enim semel captum haberet reum, non prius dimittere obligatus erat. Obligationem quidem iudicatum solvendi vas directe in se non suscipiebat quod vult *Contius Lect.* I, 9, indirecte tamen, cum ob vadimonium desertum reus causa caderet, de quo *infra*. In captivitatem enim rei, quae ex in jus vocatione descendit simul intrabat vas, atque pro reo capi poterat si hic vadimonium desereret. Quae enim circumferuntur, vadem deserti tantum vadimonii certam poenam spondisse, ipsa litis aestimatione tamen non maiorem, auctoritate *Collat. Leg. Mos. et Rom.* II, 6, ad serio-rem aetatem procul dubio pertinent. Sed finita erat vadis obligatio, cum reus die dicto vel juste comperdinato in iudicio stiterit.

Concipiendi vadimonii formula periiit: argumentum hoc tamen unum fuisse videtur, *fore, ut in quem diem locumque vadimonium promitti juberet, eodem die se sistat eodemque loco*. Vid. *B. Brisson. de formul.* L. V, c. 3, p. 346 seq.

Concepto in hunc modum vadimonio acceptisque sponsoribus e iure discedebatur. Quare haec lex proprie adhuc pertinet ad tabulam priorem quae de his sancivit, quae fiunt *in iure non in iudicio*, quibus posterioribus hujus tabulae pars

destinata fuisse videtur. Sed in ferendis legibus XII tabularum ordo non tam accurate potuit observari.

- c) Quid fuerint *subvades* vulde ambiguum est. Quidam cum *Gothofredo* putant eos, qui pro reo fidejubebant *vades*, illos vero qui pro actore *subvades*. Alii contra *subvades* fuisse defendunt, qui quum de vadis idoneitate ambigeretur in ejus locum succederent. *Heinecc. Ant. Rom. III, 21, §. 3*; negandum enim utrinque postulari potuisse sponsores iudicio sisti cum vadimonium pro sola liberatione rei a captivitate praestetur. Conf. praet. al. *B. Voorda Diss. de vadimonio in Fellenb. Jur. ant. T. II. p. 1—68*. Sed ordinato iudicio arbitrio jus nactus erat reus postulandi ab actore ut litem coeptam prosequeretur atque finiret. De duplici vadimonio sententia optime itaque defendi potest. Atque verbum vadimonium ad sponsionem de in iudicio certo die sisti, illud subvadimonium vero ad sponsionem de lite prosequenda pertinuisse puto.

## *Lex II.*

### *De legitimis diem iudiciorum differendi causis. a)*

— — b) [extra quam, si morbus sonticus c) — — votum d), absentia reipublicae ergo e), aut status dies cum hoste intercedat f): nam si quid horum fuerit unum iudici arbitro reove, eo die diffensus esto. g)

- a) Hujus legis majorem partem usque ad verbum „nam“ cum praecedente jungunt *Funccius, Bouchaud*, alii, atque ipse *Gothofredus* utramque in para-

phrasi junctum ita exhibet: „*Judicio constituto, judiceque adito, vades et subvades judicio sistendi utrimque dantur, iique sistere tenentur: nisi morbus vehemens vim graviter nocendi habens, votum aliquod, absentia reipublicae ergo intercedat, aut constitutus sit dies cum peregrino: nam si quid horum fuerit, et obvenerit judici arbitrove vel reo, judicii dies differatur. Ipsa lex ex variis conflata* 1) *ex Gellio N. A. XX, 1 „Morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem, legum istarum (sc. XII Tab.) scriptores alio in loco non per se morbum, sed morbum sonticum appellant.“ Festus voc. sonticum: „sonticum morbum in XII significare ait Aelius Stilo, certum cum justa causa: quem nonnulli putant esse, qui nocet; quod sontes significet nocentes.“* 2) *Juliano L. 60 D. de re judic. „Morbis sonticus, etiam invitis litigatoribus ac judice diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cujusque rei agenda impedimento est.“* 3) *Ulpiano L. 2 §. 3 D. si quis cautionib. „si quis judicio se sisti promiserit et valetudine vel tempestate vel vi fluminis prohibetur se sistere non possit, exceptione adjuvatur. Nec immerito, cum enim in tali promissione praesentia opus sit, quemadmodum potuit se sistere, qui adversa valetudine impeditus est? Et ideo etiam lex XII Tabul. si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum.“* 4) *Gajo lib. I ad Leg. XII Tab. (L. 233 §. 1 D. de V. S.) Si is qui fidejussorem (judicio sisti) dedit, ideo non steterit, quod reipublicae causa abfuit, iniquum est, fidejussorem ob alium necessitate sistendi obligatum esse, cum ipsi liberum esset non sistere.* 5) *Gellio XVI, 4 apud quem in formula juris jurandi militaris hae causae inter alios excipiuntur. „Morbis sonticus, sacrificium anniversarium, status conductusve dies cum hoste.“* 6) *Ciceron.*

*Offic. I, 12.* Hōstis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. Tabulae: „*aut status dies cum hoste.*“ 7) *Festo* denique voc. *reus* „*Reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid promisit, quique pro altero quid promisit — — sed exemplo adjuvat interpretationem. Numa in secunda tabula secunda lege in qua scriptum est. Quid horum fuit unum judici arbitrove reove eo die diffensus esto.*“ Legit *Scaliger* „*Si quid*“ et pro „*eo die*“ *dies*, quod et *Dacérius* probat. Caeterum verbum „*Numa*“ librariorum incuriae imputandum esse in apri-co est, et legi debere apud *Festum* vel „*Lex XII*“ vel „*Lex decemviralis*“ vel alio modo, quo duodecim tabulae apud veteres indicari solebant.

- b) Quae desunt, ad *dilationem conventionalem* pertinuisse putatur: distulisse enim praetorem vadimonia ex voluntate litigantium vult. *Heinecc. Ant. Rom. IV, 6 §. 20 in fin. et in not. Ms.*, cui quoque omnino respondent verba quae sequuntur „*extra quam*“, ita ut sensus legis hic sit: *Vadimonium differri potest voluntate litigatorum, extra quam etiam excusatio datur* etc.
- c) *Morbis vehemens et vim graviter nocendi habens* aut. *Gellio*.
- d) *Votum*. De voto publico eoque solo hoc verbum intelligit *Gothofredus*, cum *Gajus in L. 233 D. de V. S.* „*Kalendas Januariās die tertio pro salute principis vota suscipiuntur*“ de voto tantum publico loquatur, atque contra quis ad evitandam vadimonii deserti causam facile privatum aliquod votum simulare aut affectare potuisset. Contradicit *Funccius*, votum etiam privatum subintelligi putans: affectationi enim obstare religionem atque alioqui nec jusjurandum, nec auspicia, nec alia quaecunque sacra valere posse. *Gothofredi* sententia tum secunda exemptione tum loco *Gellii XVI, 4* firmatur.

- e) *Absentia reipublicae gratia. Ergo pro causa. Festus v, ergo. Ergo correptum significat idem — quod χάρις hoc est gratia, cum scilicet gratia intelligitur pro causa. Hinc absentia in negotiis privatis, urgens adeo, vadimonium non poterat differre.*

Utamque hanc et quae praecedit excusationis causam in Legibus XII Tabular, expressam non fuisse, sed a *Gajo* additam, putat *Hugo l. c. p. 243.*

- f) *Aut conductus cum peregrino dies intercedat. Putat Gothofredus legem permisisse vadimonium deserere, si conductus cum peregrino dies fuerit, ie. si reus eo die necesse habeat alteri vadimonio adesse ex causa litis cum peregrino contestatae, quasi publice intersit, jus aute omnia peregrinis dici. Hujus conjecturae argumentum est, quod in formula jurisjurandi militaris apud Gellium hae causae inter alias excipiuntur „Morbus sonticus, sacrificium anniversarium, status conductusve dies cum hoste.“ Potuit ergo pariter a decemviris in hac lege numerari haec ultima [causa simul cum morbo sontico et voti publici necessitate inter justas deserendi vadimonii causas. Certe illud constat ex *Cicerone*, verba illa status conductusve dies cum hoste alicubi in XII tabulis fuisse: quo loco autem non patet. Quare etiam *Marcilius* non ad justam vadimonii, quod civi aut peregrino datum esset, desertionem illa pertinuisse putat, sed separata lege ita sanxisse decemviros: si status conductusque dies cum hoste intercedit, hoc sensu, ut fidem vadimonii hosti ie. peregrino aequae ac civi servari voluerint. Aliam adhuc conjecturam fovet *Rævardus*, scilicet in XII tabulis legem fuisse, qua cautum, ne peregrini in jus ducerentur, sed tantu eis condiceretur dies, quo se sistere deberent. Et *Gravina* clausulam plane otiosam existimat. Pro *Gothofredi* tamen con-*

jectura admodum facere locum *Plauti in Curcul. Act. I, Sc. 1* putat *Pothier*, quo impurus adolescens nullo se negotio retardari significans, quo minus proficiscatur, quo amor imperat, ait:

*Si media nox est, sive est prima vespera  
Si status condictus cum hoste intercedit dies;  
Tamen est eundum.*

Caeterum inter statum et condictum diem hanc adhuc differentiam deprehendit *Gravina*, quod *status dies* sit, quem praetor statuit litigantibus, ut ad se iretur; *condictus*, quem sibi ipsi ex compacto litigantes praefiniunt, ut ad praetorem eant. — Atque rectissime omnium mihi divinasse videtur *Heinecc in not. Ms.*, qui similiter approbans hanc *Gothofredi* restitutionem, legem de *superveniente cum peregrino causa* loqui putat, quae moram non ferret, sed posthabitis civium inter se querelis decidenda esset. Quae enim non superveniebat, eam quoque justam deserendi vadimonii haberi non potuisse.

g) *Si enim unum ex his contingat, sive judici aut arbitro, sive ipsi reo, dies judiciorum differatur. Fuat pro fuerit. Sic apud Virgil, Aen. X, v. 108.*

— — *Tros Rutulusve fuat.*

*Diem diffindi idem est ac differre.*

Excusationis causae quae praemittuntur competunt tum *judici* et *arbitro*, tum ipsi *reo*. Arbitr hoc loco non est iudex ex compromisso partium, sed qui a magistratu in *bonae fidei judiciis* iudex datur. Qui dabatur in *stricti juris* proprie nomen iudicis meruit. Quod *Festi* probat interpretatio, qui arbitrum inde dici ait, quod totius rei habeat facultatem ac arbitrium. Discrimen inter arbitrum et iudicem curatius adhuc *Seneca Lib. III de Benefic. c. 6* exponit: „*Quaecunque ait, in cognitionem cadunt, comprehendi possunt et non dare infinitam judici potestatem. Ideo*

*melior videtur conditio causae bonae, si ad judicem quam si ad arbitrum mittatur: quia illum formula includit, et certos quos non excedat terminos parit. Hujus libera et nullis adstricta vinculis religio: et detrahere aliquid potest et adjicere, et sententiam suam, non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas aut misericordia impellit, regere.*“ Exempla arbitratorum e toto jure collecta vid. ap. *Brisson. de Verb. signif. voc. arbiter.*

*Reos appellat Cic. de Orat. II; 40 non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur, et ait Festus h. v. „Reus nunc dicitur qui causam dicit: et item qui quid promissit, sponsonditue ac debet. At Gallus Aelius L. 2 significationum verborum quae ad jus pertinent ait: reus est qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est.*“ Quare et illi, qui duplex vadimonium et a partibus invicem dandum statuunt, decemviros tum de actore tum de reo proprie sic dicto hic locutos esse minime dubitant; de ipso immo vade ab utraque parte jam dato. Alii contra, sermonem tantum esse de reo proprie sic dicto et in jus vocato, existimant. Prioribus accedo. Atque in lege plane non agitur de legitimis vadimonium deserendi causis, quam rubricam posuit *Hoffmannus*, sed de die judiciorum diffiso propter causas graves, quaeque sancuntur, tum iudices arbitrosve tum partes vadesque simul, concernunt.

Quae fuerit poena non comparitionis die dicto vel diffiso, lege non continetur. Interpretes vel nova antiquis miscent, cujus rei quoque culpandus venit *Heinecc. in Antiq. Jur. IV, 17, 7*, vel in poena vadimonii deserti subsistunt. Captivitatem rei vel imaginariam tantum sequelam fuisse in jus vocationis supra ostendimus: in eamque vadem etiam intrasse, qui, cum eo die in jure causa finiri

non posset, pro reo intercessit, ut dimitteretur. Hinc et poena vadimonii propter iudicium dati et deserti nulla alia esse potuit, ac ut vades veram pro reo captivitatem intrarent, eosque apprehendendi et in[ carcerem] ducendi actori a praetore potestas daretur, quo novo iudiciorum die sisti possint. Sed actorem non comparem pro liti et causae renunciantem habitum fuisse nulum mihi dubium est, seu quod idem est, causa cecidisse.

### Lex III.

#### De probationibus. a)

— — — — —  
 — — — — —. b)

Cui testimonium defuerit is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. c)

a) Primum legis caput deest. Alterum integrum desumptum est e *Festo v. portum: Portum in duodecimo pro domo positum omnes fere consentiunt: Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum vagulatum ito.* Et in *v. vagulatio: „Vagulatio in lege XII tabularum significat quaestionem cum convicio. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.“*

b) Deesse hic plura vix negari poterit. Quae desunt, ad probationis instructionem pertinuerint, jam sequitur. Putat *Heinecc. in not. Ms.* sancitum fuisse, ut in die iudicii tum actor tum reus omnes omnino probationes secum ferant, indeque etiam testimonia, si quae eis fuerint, ut praesto essent, cum desiderarentur, idque sub poena probationis deser-

tae. Omnia eo redeunt, quid de altero et nobis servato capite statuendum.

Atque hoc certe loco movendum, si cum *Salmasio* in *Obs. ad jus Attic. et Rom. p. 817*, alteri illi „*qui se sinit antestari*.“ a *Gothofredo* in Tabula septima collocato cohaesisse putatur, vel cum *Heineccio* in *not. Ms.* praecedens ei, quod in hac tabula incipit verbis „*si furtum per lancem et licium*“ etc. ita, ut de quaestione inveniendi furti causa facta, quam vernacula lingua *die Umfrage* appellamus, intelligendum videatur. Prior legit „*si testimonium defugerit*“ ut de legis loco sententiam magis tueri possit, posterior caeteroquin *Gothofredi* lectionem retinet. *Salmasii* conjecturam non temere rejiciendam esse putat *Hoffmannus*, cum ea respondeat legibus Atticis, quibus receptum, ut antequam actio contra testimonium declinantem institueretur, *obvagulationem* iret testimonium exigens ob domum illius, qui testimonium *defugeret*: quod testimonio *Demosthenis* aliorumque veterum probavit *Sam. Petit.* in *Comment. ad leges Attic. p. 357.* — Singularis hujus capituli lectio quam *Charondas* exhibet: „*Cui telum manu fugit, si liberum hominem occisit, is tertiis diebus ob portum obvagulationem ito. Ast ei custos nec escit*“ ex adnotationibus incerti autoris *ad libr. 3 Ciceron. de Oratore* plane spernenda videtur, diuque jam insuper habita est.

An cum *Salmasio* legendum „*testimonium defugerit*“ quod etiam defendunt *Turnebus*, *Marcilius*, *Ursinus* et *Merula*, seu cum *Gothofredo*, aliis, „*testimonium defuerit*“ in id paulo infra inquiram. Hic de loco capituli tantum statuendum est. Et quidem *Salmasii* de loco legis sententiae obstat, quod ea generaliter de testimonio loquitur, non de testimonio actui cui-dam exhibito, quod ad eliciendum et obvagulatione opus non fuisset, cum alii testes adessent, ad quos

provocari tantum potuisset, isque qui testimonium declinare vellet, ilico auctoritate praetoris ad tribunal duci. *Heineccii* vero de legis loco opinio in eo fallere videtur, quod quaestio, quam *die Umfrage* appellamus, antiquitus in causis cum civilibus tum criminalibus licita fuerit. Accedit generalis legis de testimonio sauctio, jam *Salmasii* sententiae opposita, non sine violentia in furto non manifesto restringenda. Quare sanctionem hoc loco recte positam putamus.

- c) Ita sententiam hujus capituli exhibet *Gothofredus*: *Qui testimonium denunciare volet, is trinundino, id est ter intra XXVII dies ad domum ejus, cui testimonium denunciat, denunciatum ito.* Jam supra monuimus a nonnullis legi „cui testimonium defugerit“ i. e. cui testimonium ab eo qui ferre posset declinatur, quam lectionem omnino jus Atticum adjuvat, quod adhibuisse in concipiendis legibus XII Tabularum decemviros vix dubitari potest. Sed obstat 1) huic lectioni loquendi usus quo quidem testimonium deesse, non vero defugere dicitur, 2) repetita obvolutio, quam e lege recte deducunt, et intra certum spatium repetenda, cum jure Attico jam una sufficiat. Sed an posterior in lege contineatur, adhuc quaestio est. Quare curatius in legem inquirendum videtur. Et primum quidem de verbis legis solliciti simus.

Ante omnia quaeritur: quomodo intelligenda sint verba „*tertiis diebus*.“ Plurimi cum *Gothofredo* praeunte *Cajacio Observ. XX, 11* (cui ista interpretatio proprie debetur) illa reddunt per „*tribus nundinis*“ ita ut obvolutio in lege praescripta ter intra XXVII dies fieri debuerit, vel nono quoquo die, is enim erat dies nundinarum, repeti. Aliter sentit *Turnebus* qui „*tertiis diebus*“ hic vult intelligi pro tertio die ante iudicii diem. Quae *Turnebi* interpretatio omni destituitur fundamento, si enim sumere etiam velis

„*tertiis*“ pro „*tribus*“, de tertio die ante iudicii diem decemviri loqui non potuerunt. Et quid de tertio die ante iudicii diem, cum legis sanctio generalis sit, et maxime dies iudicii jam secundus et tertius esset post missionem e jure? Sed et *Gothofredi* interpretationi quam vulgarem appellare licet, obstat sanctio in Tabula tertia, quae de secundo debitore in partes trinis nundinis loquitur, et merito quaeri potest, cur et hic non tribus nundinis dixerint. „*Tertiis diebus*“ vero, et „*trinis nundinis*“ synonyma fuisse, vix defendi poterit. Quare omnino alia quaerenda est verborum significatio, ni vitium a librario commissum in *Festo* deprehendere velis, qui pro „*tertiis nundinis*“ posuit „*tertiis diebus*“ quod omnino statuit *Heineccius* in not. Ms. cum *Oberti Gifanii* *lucubrationibus* ad *Gell. ineditis*, quos se inspexisse affirmat, insidens, locum Gellii corruptum esse, et in optimo quodam Codice legi „*tertieisdinis*“ asseveret. Atque jam in edit. *Gell. Veneta VIII* tale quid indicatur. Sed et vulgaris lectio optime defendi potest, cum verba „*tertiis diebus*“ pro „*tertio quoquo die*“ (*allemahl um den dritten Tag*) apud veteres scriptores inveniamus. Ita enim *Gellius Noct. Att. IX, 4* „*Stauromates cibum capere semper diebus tertiis, medio abstinere.*“ Et apud *Ciceron. ad Attic. epistol. V, 20* est „*tertiis saturnalibus*“ i. e. *tertio saturnalium die*. Dicit itaque posset, id voluisse decemvros, ut tertiis diebus, i. e. *allemahl um den dritten Tag*, is cui testimonium defuerit, obvagalatum iret, in qua stricta grammatica interpretatione certe negligenda foret *Fulvii Ursini* olim valde probata conjectura, qui unam tantum obvagationem comperendinationis die faciendam statuit.

Alia est quaestio, quid decemviri verbis „*obportum*“ sibi voluerint. In duodecim pro porta positum fuisse *portum Festus*, quidem autor est,

sed ex plurimorum tantum consensu. Fuere itaque, qui aliam quoque significationem admitterent. Et notissima est e jure ea verbi propria significatio, qua locus indicatur, cui *Portumnus* praesidet i. e. ad quem naves appellant: quae tamen hic vix admitti potest. Sed datur adhuc tertia, qua pro loco accipitur, in quo merces exponuntur et in quem populus emendi vendendique causa confluit (*L. 59 D. de V. S.*) quam etiam in mente habuisse decemviros possibile est: modo pro „*tertiis diebus*“ legas „*tertiis nundinis*.“ Et plane huic significationi convenit verbum „*ob*“ quod idem significat quod „*circum*“ autore *Festo*: vix enim dici poterit „*circum portum obvagulationum ire*.“ — Caeterum de ritu obvagationis apud veteres Romanos exstat epistola Clarissimi et doctissimi *Hauboldi*. Lips. 1787, ad quam lectorem lubenter remittimus. Praefero lectiones „*ob portum vagulationum*“ et „*portum obvagationum*.“ Sed quid „*vagulare*?“ Et *Festus* interpretatur „*quaerere cum convicio*.“ Quaerere autem non hic est, quod lingua Germanica dicitur „*suchen, untersuchen, nachforschen*“, sed quod eadem lingua est „*aufordern*.“

Et haec quidem de interpretatione legis grammatica, jam de ejus logica solliciti simus, in qua Jurisconsulti in duas abeunt partes. Alii enim verba decemviralia ad testem solum spectare putant, et hoc voluisse decemviros, ut cui testimonium desit vel defugerit, liceret *tertiis diebus* aede ejus cujus testimonio uti vult libere conqueri, implorare testimonium et convicium recusanti facere. Alii contra haec verba ad adversarium trahentes, permissum fuisse existimant, ut is cui testimonium defuerit, *tertio die* ad aedes adversarii accedat eique justum testibus adhibitis convicium faciat. Quod ita illustrat *Funccius*: „*Veluti si quid esse in tuis aedibus contenderem, quod cum*

vere ad me pertineret, tamen apud te esse nullo testimonio possim demonstrare, illudque mihi restituere, uno et altero die rogatus, omnino recuses: mihi permisisse videntur decemviri, quandoquidem deficiente testimonio inutiliter jure aut lege ageretur, tertio die ad aedes tuas venire ibique rem meam repetere cum convicio.“

Posterior legis interpretatio plane tolerari non potest: quid enim *infamare* eum, probationibus deficientibus, qui negavit et forsitan jure negavit, et infamatione cogere, ut postulanti adversario injuste cedat. Atque favor rei, cujus jam ab antiquissimis temporibus observatio fuit apud Romanos, suadet, ne, mediis eum torturae similibus, ad confessionem adigi potuisse, accipiamus. Restat itaque sola prior legis interpretatio, quae accipi posset, si legatur „*testimonium defugerit*“ pro „*testimonium defuerit*“: ridicula esset, si cum Gothofredo aliis legimus „*defuerit*“: cui enim fini ab initio quaestio cum convicio? Et sane latinum est „*testimonium defugerit*“ et spernendum, quod usui loquendi non conveniat, cum tempore decemvirorum plane alius usus loquendi obtinuerit ac sequenti aevo. Si dicendum quod nobis videatur, legem loqui puto de casu, quo quis advocatus in testimonium die iudicii non apparuerit. Hic petere poterat reus dilationem intra quam tertiis diebus, i. e. allemahl um den dritten Tag, ob domum testis obvagulatum iret eum provocando et infamando. Frustrata obvagulatione testis provocatus vel ejurare debebat testimonium vel infamiam incurrebat.

Ultimum locum in ista tabulae Sectione vel potius in priori tabula occupasse puto legem de poena sacramenti cujus tenorem refert *Gajus Inst. Comm. IV, §. 14.* „*Poena autem sacramenti aut quinquagenaria, nam de rebus mille aeris plurisve quingentis assibus, de minoribus vero*

quingenta assibus sacramento contendebatur: nam ita lege XII tabularum cautum erat, sed si de libertate hominis controversia erat, etsi pretiosissimus homo esset, tamen ut L assibus sacramento contenderetur cautum erat.“ Caeterum quid sacramenti nomine hic veniat optime exhibuit Varro *de LL. Lib. V.* „Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat et qui infitabatur, de aliis rebus uterque quingentos aeris apud pontificem deponabant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat: victi ad aerarium rediebat“, quo cum in genere convenit Festus voc. *Sacramentum.*

Primam igitur Tabulam his adhuc sanctionibus:

*Si causa eo die non poterit terminari, vadium dato reus dimittitor. \*)*

*De rebus mille aeris plurisque quingentis tantum assibus, de minoribus vero non in amplius quam quinquaginta assibus, sacramento contendito. \*\*)*

*De libertate hominis quinquaginta tantum assibus sacramento certato. \*\*\*)*

*In — — — iudicem postulanti dato. \*\*\*\*)*

supplerem: dein sectionem primam hujus tabulae ita legerem:

*Judicio constituto dies in perendinum dicitur, et vades, subvadesque dantur. †)*

*Pactione licet diem iudicii differre.*

*Extra quam, si morbus santicus, votum, absentia reipublicae ergo, aut status cum hoste dies intercedat, iudici reove dies iudicii diffisus esto.*

*Die iudicii omnes secum probationes ferunt. ††)*

*Cui testimonium defugerit tertius diebus obportum vogulatum ito.*

*Qui et vagulanti testimonium declinat, ni  
ejuraverit infamis esto. †††)*

Et haec quidem meo iudicio. Dicant lubenter  
alii aliud et melius.

\*) *Gaj. Inst. Comm. IV. §. 84.*

\*\*) *Gaj. l. c. §. 14.*

\*\*\*) *Gaj. l. c.*

\*\*\*\*) *Gaj. l. c. §. 15.*

†) *Heinecc. in not. Ms.*

††) *Idem eod.*

†††) *Aliter Jur. Att. Petit. Leg. Att. p. 312,*  
quod poenam pecuniariam statuit. Sed  
analogia L II. in Tab. VII. infamiam  
suadet.

## Sectio secunda.

### D e F u r t i s. a)

#### *Lex I.*

#### *De furto nocturno. b)*

Si nox furtum faxit c), si im ali-  
quis occisit d), jure caesus esto. e)

a) De furtis hac secunda tabula actum fuisse ex *Gel-  
lio VII, 15*, clarum ac manifestum esse putat *Go-  
thofredus*, qui *Labeonem libro secundo Com-  
mentariorum ad leg. XII Tabul.* scripsisse refert:  
*acria et severa judicia de furtis habita fuisse:*  
cum vero *Labeo* 12 Comment. libros scripserit,  
singuli videlicet singulis tabulis respondeant ne-  
cesse sit. Et non unico illo *Labeonis* testimonio  
nos edoceri, de furtis hac secunda tabula actum  
fuisse, verum etiam duobus *Gaji* fragmentis *L.*  
*233, §. 2 D. de V. S.* et *L. 2 §. 4 D. arbor.*  
*furt. caes.*

- b) Integram legem exhibet *Macrob. Lib. I Saturnal.* 4. „Non esse abs re puto hoc loco id quoque monere, quod decemviri in XII Tabulis inusitatissime *nox pro noctu* dixerunt. Verba haec sunt: *Si nox furtum factum sit, si im aliquis occisit, jure caesus esto.* In quibus verbis id etiam notandum est, quod ab eo quod est *is*, non casu accusativo eum sed *im* dixerunt.“ — Similiter *Gell. Noct. Attic. XI, 18. Cic. pro Milone c. 3*, et quorum auctoritas praevalet *Paul. in Coll. LL Mos. et Rom. VII, 7, 2* et *Gajus L. 4 D. ad leg. Aquil.* referunt, lege XII tabul. permissum fuisse furem nocturnum deprehensum occidere. Posterior addit „*ut id ipsum cum clamore testificetur*, quam tamen adjectionem non ipsius legis esse, sed vel cautelae instar a *Gajo* suppeditatam putat *Nooldt probabil. I, 9*, et *Observ. I, 15*: emblemata adeo Triboniani e jure noviori suspicatur *Jac. Gothofredus*, cum neque *Macrobius* eam adjectionem habeat. neque apud alios legatur, qui hujus sanctionem mentionem fecerint. Textum tamen Pandectarum ipsum corruptum putat *Heinecc. in not. Ms.*, cum, quae refert *Ulpian. in L. 9 D. ad leg. Corn. de siccar.*“ Furem nocturnum si quis occiderit ita demum impune ferat, si ei parcere sine sui periculo non potest“ contradicant *Gajo*, atque clamor noctu certe ad ridicula referendus sit.
- c) *Si quis noctu furtum facit. Nox pro noctu.* Vid. not. praec. — Sed noctis partes enumerantur septem apud veteres, scilicet 1) *vesper*, tempus diei ultimum a stella quae solem occidentem sequitur. 2) *Crepusculum*, ubi nondum verae sunt tenebrae lux tamen incerta et dubia. 3) *Conticinium*, quando omnia silent. 4) *Intempestum*, medium tempus noctis. 5) *Gallicinium*, ab lucis praenuntiorum cantu gallorum. 6) *Matutinum tempus*, inter abscessum tenebrarum et aurorae adventum. 7) *Di-*

*luculum* incipiens quasi jam parva diei lux, quae etiam aurora vocatur. Ex his decemviros innuere noctis tempus medium putat *Funccius*, quod *conticinium* et *intempestum* vocatur; tum enim facillime quem in obscuro latere posse et magis imminere a furibus ubique periculum. Sed *nox* in XII Tabulis opponitur *luci*, unde sequi videtur, decemviros ad noctis solitam divisionem plane non respexisse, ne divisionem quidem temporis in diem et noctem admisisset.

c) *Si quis eum occiderit. Im pro eum.* Sed quisnam furis nocturni occidendi potestatem ab hac lege receperit, quaeritur, utrum solus rei furtivae dominus, an alii etiam in ejus domo versantes. *Hottomannus* et *Funccius*, decemviros non domino solum, sed caeteris quoque sine discrimine hoc permisisse defendunt, ut obvium sibi nocturnum furem necarent. Alii contra, ut *Rittershusius*, legis permissionem in domino restrictam putant. Praeferrem priorem omnino sententiam ipsis legis verbis maxime convenientem.

e) *Jure occisus sit.* Impunitatem ei promittit lex qui furem nocturnum occiderit, occisus sive servus sit sive liber. Caeterum istam legis decemviralis sanctionem e jure Graeco mutuatam esse omnes interpretes XII Tabul. consentiunt. Sic enim legem Solonis refert *Ant. Thysius* in *Coll. Leg. Attic. et Rom.* ap. *Gronov. Thes. ant. graec. Vol. V, pag. 1392 ed. Venet.* „Si vero quis noctu quidquam surripuerit, eum et occidere et intersequendum vulnerare, et ad undecim viros, si ei lubet, abducere fas esto“ quae et consentit legi *Platonis*: „si quis furem noctu ingressum ad surripiendas pecunias deprehendat atque interficiat, caedis purus esto.“

Sed quae fuerit poena furis nocturni deprehensi, non constat. Jure Attico mortis poena praescripta erat. *Petit. LL. Att. VII, 8.* Videntur

decemviri furem nocturnum plane in arbitrium deprehensoris collocasse.

## *Lex II.*

*De furto quod luce fit et manifesto.* a)

Si luci furtum faxit b), si im aliquis endo ipso capsit c), verberator d), illique cui furtum factum escit addicitor e) — —

Servus virgis caesus saxo dejicitor. f)

Impubes praetoris arbitrato verberator g) noxiamque decernito h). Si se telo defenderit i), quiritato endoque plorato k), post deinde si caesi escint, se fraude esto. l)

- a) Legis argumentum adeoque sufficiens testimonium est apud *Gell. noct. Attic. XI. cap. ult.* „Decemviri nostri ex caeteris manifestis furibus liberos verberari addicique jusserunt ei, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent neque se telo defendissent. Servos item furti manifesti prensos verberibus affici et e Saxo praecipitari, sed pueros impuberes praetoris arbitrato verberari voluerunt, noxiamque ab his factam sarciri.“ *Idem II, 18.* furem qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt: si aut cum faceret furtum, nox esset aut interdiu telo se, cum prenderetur, defenderet. *Ulpian. L. 4 D. ad leg. Aquil.* „Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat; ut tamen aequae cum clamore testificetur. . . *Gajus L. 54, §. 2 D. de furt.* Furem interdiu deprehensum non aliter occidere Lex XII Tabul. permisit, quam si se telo defendat.“ *Add. Cic. Orat. pro Rab. c. 3.*

- b) *Si cum adhuc lux esset furtum commissum fuerit.*  
 Opponuntur hic furta quae luce fiunt illis quae nocturnis: non, ut vulgo putatur, furta interdiana nocturnis. Si restringimus cum *Funccio* furta nocturna ad ea, quae in conticinio et intempesto fiunt, omnia quidem reliqua furta luce facta esse oportet. Sed huic aperte repugnat verbum legis „*luci*“ quo omne tempus significatur a tenebris liberum, eaque decemvirorum sententia fuisse videtur, ut nonsolum conticinium et intempestum, sed totum quoque illud tempus quo terra tenebris operta est, furto nocturno vindicarent. Quare ad furta luce facta ea tantum referre licet, quae fiunt, cum tenebrae nondum ingrussent, vel quae ingruerant, nondum disparuissent.
- c) *Si quis furem in ipso furto deprehenderit. Impro eum, endo pro in, capsit pro ceperit.* Sive rei dominus sive alius quicumque ei obviam factus, qui furtim aliquid auferre conatur, eum deprehenderit in ipso furto. Nihil enim interest a quo fur deprehendatur. *L. 3 §. 1 et L. 7 §. ult. D. de furtis.* Atque tale furtum quod luce committitur et ubi fur in ipso facto deprehenditur ex mente decemvirorum est manifestum poenaeque praescribitur furi applicanda. Caeterum hic jus Rom. a Graeco differt, quod furtum luci commissum manifestum morte puniendum vult. *Petit, LL. Graec. VIII, 5.*
- d) *Verberibus adfcitor.* Verbera aut *virgis* aut *fustibus* aut *flagellis* infligi solebant. Flagellatio genus supplicii servile fuit. Fustibus vulgo in disciplina militari et domestica, virgis in civilibus utebantur Romani, atque de hac posteriori verberatione legem loqui *Funccius* putat. Sed vix crederem, verbum *verberator* hic de virgis caesione sola intelligendum esse. Et certe hoc tempore nulla adhuc inter disciplinam militarem et civilem distinctio fuit.

- e) *Eique cui furtum fecit in servitatem traditor.* De servitute tantum temporaria, et donec damnum furto datum ejus qui addicitur manu compensatum fuerit, plurimi legis sanctionem intelligunt, moti inprimis loco *Quintiliani Inst. Orat. VII, 3*, qui ita inter addictum et servum distinguit: „*Servus cum manumittitur fit libertinus: Addictus recepta libertate est ingenuus. Servus invito domino libertatem non consequitur addictus solvendo ultra voluntatem domini consequetur. Ad servum nulla lex pertinet: addictus vero legem habet.*“ Vid. praet. al. antiq. *Func.*, *Pothier.* et *Bouchaud.* Sed recte mihi *Heinecc. in not. Ms.* putasse videtur, tempore XII tabularum nullam adhuc distinctionem inter servum et addictum fuisse, et addictionem, de qua loquitur lex, in satisfactionem furati factam perpetuam fuisse, quod vel ex eo intelligi queat, cum nullo discrimine observato, an fur jam aliquid abstulerit et ita damnum dederit, vel non, lex addictionem jubeat. Et jam veteres de re dubitasse *Gajus* autor est, qui in *Inst. Comm. III. §. 189*, „*Poena, inquit, furti manifesti ex lege XII Tabul. capitalis erat, nam liber verberatus addicebatur ei cui furtum fecerat, utrum autem servus efficeretur ex addictione, an adjudicati loco constitueretur, veteres quaerebant.*“
- f) *Servus fur, seu si servus fuerit qui furtum fecit, primum virgis caeditur dein de rupe dejicitur.* — *Saxum*, rupes ex qua criminum rei dejici solebant, *Tarpeja* appellata, quam describit *Plutarch. in Camill. p. 141*, accuratius *Seneca Contr. 3.* Mos criminis damnatos ex alto praecipitandi antiquissimus, atque Hebraeis Graecisque usitatus fuit: inde quidam hoc supplicii genus a Graecis ad Romanos cum legibus Graecis pervenisse credunt.
- g) *Si impubes sit qui furtum commisit pro praetoris arbitrio castigator.* Legem intelligendam esse de tali impubere qui intellectum jam habet, monuit

*Heinecc. in not. Ms.*, non de infante, quamvis anni infantiae tunc temporis nondum definiti essent, atque de impubere qui jam patria potestate exierat: hunc quoque damnum furto datum de suo tantum resarcire potuisse.

**h)** *Atque damnum datum resarcito. Noxia* i.e. damnum ab aliquo datum, qui magis culpa quam dolo delinquit. *Festus. h. v.*

**i)** *Si qui fur furtum luce fecerit et se telo defendit. Telum ἀπο τοῦ τηλοῦ* vel *τῆκε*, quod est longe sive *τηλόθεν* eminus dictum, proprie quidquid jacitur et manu vel arcu missile significat, sed latiori sensu quaelibet arma, quae manus ad nocendum porrigit, tignum, ferrum, lapidem. *L. 233, §. 2, D. de verb. signif.* Distinctionem inter furem armatum et non armatum lex plane ignorat, ad id tantum respicit, an fur prehensionem cum telo obstiterit vel non.

Nullam admittit lex distinctionem inter liberos et servos, majores et minores: respicit solum ad haec duo, furtum luce commissum esse, et furem se telo defendere conatum, ne prehenderetur.

**k)** *Clamore facto imploret auxilium, et a fure postulet ut telum deponat, seque prehendere sinat. Quiritare* enim dicitur qui Quiritium fidem clamans implorat. Hinc *Nonius c. 1, nr. 78. Quiritare* est clamare, tractum ab iis qui Quirites invocant. — *Endoplorato* „cum quaestione inclamare.“ *Fest. h. v.* Male hoc posterius interpretatur *Funccius* „moneatque alios, si qui adsunt, ut sibi succurrere velint“: plane omittit *Gothofredus* in paraphrasi, Duplicem urget lex obligationem in *quiritatione* et in *ploratione furis*. Ridicula fere sunt, quae circa Quiritationem protulit *Heinecc. Antiq. Rom. IV, 1, 9* ad hanc legis sanctionem applicata: repetivit in *not. Ms.* Atque fere crederem, in verbis *quiritato endoque plorato* decemviros ad solum furem respexisse ita, ut fru-

stra prius ex jure et lege Quiritium admonitus, dein ploratus telum abjicere et prehensionem pati, occidi jam potuerit, nisi loca veterum supra citata de testificatione cum clamore loquerentur.

- 1) *Quo facto si occisi fuerint sibi imputanto.* Caeterum hoc furti genus in fure deprehenso non durius punitum, jus tantum furem impune necandi civibus tributum est. An fur cum telo irruerit vel non, idem est, modo cum telo prehensionem non restiterit.

### *Lex III.*

#### *De furto per lancem et licium concepto. a)*

Si furtum per lancem et licium conceptum escit c), atque uti manifestum vindicator: c)

- a) Desumpta est haec lex e *Gellio*, qui *Noct. Att. II, 18*: „*Ea (inquit) quoque furta quae per lancem et licium concepta essent, proinde ac si manifesta essent vindicaverunt.*“ Et *XVI, 10*: „*furtorumque quaestio cum lance et licio evanuerit, omnisque illa XII Tabul. antiquitas, add. §. 4, Inst. de obl. quae ex del. Quibus locis addendus Gajus in Inst. comm. III, §. 186 furtum conceptum dicitur cum apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita et inventa est.*“

Ordinem legum a *Gothofredo* in ejus restitutione plane conturbatum esse conqueritur *Heinecc. in not. Ms.* et primum poni debuisse, ait, legem sequentem „*qui adorat furto*“ dein eam, quam supra Tab. II. exhibuimus *Gothofredum* sequentes „*cui testimonium defuerit*“: postremum hanc „*si furtum per lancem*“ etc., idque decemviros voluisse, ut is qui de furto non manifesto ageret, cum

ei furtum factum negetur vel rem furtivam a reo possideri, eique testimonium defuerit, primum ad habendam quaestionem — *die Umfrage* — obligatus sit; dein ei liceat intrare domum rei ad quaerendam rem furtivam. Sed stat pro Gothofredi restitutione, praeter ea quae supra a nobis prolata sunt, hoc, quod furtum per lancem et licium conceptum ad furta manifesta refertur, de quibus priori loco decemviri sancierunt. Dubium vero oritur, idque haud leve, de vera huius legis lectione ex *Gaji Inst. Commentariis*, qui cum primum III, §. 183 dixisset: „*furtorum autem genera Servius Sulpicius et Massurius Sabinus IV esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum: Labeo duo, manifestum, nec manifestum; nam conceptum et oblatum species potius actionis esse furto cohaerentes quam genera furtorum: quod sane verius videtur*“ dein §. 189 et 190 poenas furti manifesti et non manifesti eas allegat, quae lege II supra et lege IV infra leguntur, et nunc §. 191 ita pergit: „*Concepti et oblatis poena ex lege XII tabularum tripli est, quae similiter a praetore servatur.*“ Ex qua *Gaji* relatione sequitur 1) falsum esse, quod refert *Gellius*, furtum conceptum aequè ut furtum manifestum vindicatum esse, sed furem tantum poenam tripli passum constat. 2) Deesse in Gothofredi restitutione aliorumque legem, quae de furto *oblato* sancivit. Furtum autem *oblatum* ita describit *Gajus* l. c. §. 187: „*cum res furtiva tibi ab aliquo oblata sit, eaque apud te concepta sit; utique si ea mente tibi data fuerit, ut apud te potius, quam apud eum qui dederit conciperetur.*“ Et eum, apud quem concepta fuerit ad poenam tripli, obligatum fuisse salvo regressu adversus eum qui dederit, idem *Gajus* autor est. Quis vero non *Gaji* auctoritatem huic *Gellii* praeferret. Sed idem *Gajus* l. c. §. 192 et 194 autor est, in lege

XII tabul. hoc furtum manifesto adnumeratum fuisse, non ut manifestum vindicatum. Quare hanc legem ita constituerem:

*Si furtum per lancem et licium conceptum fuerit, licet manifestum, tripli tantum poenam luito, sive sit fur ipse, sive alius apud quem conceptum fuerit.*

Caeterum adparet furtum conceptum et oblatum idem esse atque ex eo solum distinctum, utrum apud furem ipsum vel apud alium res inventa fuerit.

- b) *Si res furtiva cum lance et licio quaesita et inventa fuerit.* Antiquissimam legis interpretationem apud *Festum* legimus h. v. „lance et licio dicebatur apud antiquos: quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat, propter matrum familiae aut virginum praesentiam“, eaque prioribus plurimum placuit, discedentibus tamen nonnullis in alias easque diversas sententias, quas recenset *Bouchaud*. Aliter tamen *Funccius* qui lancem non fuisse larvam quam prae oculis gestabat qui furtum ibat quaerere, *escarium* potius vas fuisse asserit, minus patera excavatum, figura rotunda, usumque ejus primarium, ut ponerent in eo scriptum, concessam a magistratu quaerendi potestatem continens, auctoritate *Petronii* Satyr. c. 97: secundarium vero, ut res inventa eique imposita omnibus monstretur. Eaque *Funccii* sententia jam plane comprobatur ex *Gaji Inst. Comm. III, §. 193*. Ex quo simul apparet, quod jam aliis prioribus visum: *Festi* locum corruptum esse, et post verbum, „intrabat“ ponenda esse verba: „propter — — praesentiam“, et concludi verbis „lancemque — tenebat.“ Nudi enim ingrediebantur rem furtivam quaerentes, ne furtum sub vestibis occultantes clam inferrent, licio solum cincti, propter matresfamilias et virgines illis forsan obvias, ut simul consuleretur pudori. *Gajus* pro „licium“ habet „lintheum“ et cum l.

c. §. 193 ita de re exponet: „*Quid sit autem linteum quaesitum est sed verius est consuti genus esse, quo necessariae partes tegerentur*“ fere dubitari posset, an verbo „*licio*“ usi sint decemviri. Atque in jure Graeco est, quod is qui furtum it quaerere, in domum alienam cincticulo amictus intrare debeat. *Petit. Leg. Att. VII, 5.*

Caeterum non intelligo *Gajum* in §. 193 legem irridentem propter eam rationem „quod quem vestitum prohibet, is et nudus quaerere prohibitus sit.“ Fere crederem ipsum *Gajum* vel legem XII Tabul. non intellexisse, vel nova pro antiquis venditasse, praesertim si §. 194 ab eo dicta cum prius prolatis comparentur.

c) *Perinde ac si manifestum esset vindicator, ie. punitor.* Sed vid, not. praec.

## *Lex IV.*

### *De furto nec manifesto. a)*

Si adorat furto b) quod nec manifestum escit c) duplione decidito. d)

a) Pars hujus legis prior est apud *Festum* in voc. *nec*. „*Nec conjunctionem grammatici fere dicunt esse disjunctivam, ut nec legit nec scribit: cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinius Capito, intelligi possit, eam positam ab antiquis pro non.*“ Sic in XII tabulis est „*ast ei custos nec escit.*“ Item: „*Si adorat furto quod nec manifestum erit.*“ Posterior legis pars restituta est ex *Gellio N. A. XI, 18.* „*Aliis deinde furtis omnibus, quae nec manifesta appellantur, poenam imponere dupli*“ quo cum etiam convenit *Gajus Inst. Comm. III, §. 199.* „*Nec manifesti furti poena per legem XII tabularum dupli irrogatur.*“

Conf. et L. 233 D. de V. S. et L. 2 et 4 D. arbor. fort. caes.

- b) Si agitur de furto. Adorare furto quidam accipiunt de furto agere, alii de furto pacisci. Fr. Balduinus legit: si aderit furto, atque verba de furti et criminis societate intelligit, sed mendosam hanc lectionem esse jam ostendit Raevardus ad h. l. — Substituit Marcilius verbum „adulat“ idque ex antiquis auctoribus pro fallere et circumvenire explicat. Functio tutissimum videtur, in Festi interpretatione acquiescere „qui adorat (inquit) apud antiquos significatur agere, unde et legati oratores dicuntur.“
- c) Quod manifestum non est. Nec iterum pro „non.“
- d) Confessus vel convictus poenam dupli patiatur, seu duplum restituat. Major pars editorum habet „luito.“ Merula mavult legere „damnato“ motus Catonis initio de re rustica, verbis: „maiores nostri voluerunt, itaque in legibus posuerunt, furem dupli damnandum.“ Sanxit vero hanc poenam dupli apud Athenienses primus Solon in furtis levioribus: in gravioribus vinculorum quoque ignominiam adjectam docet Desid. Heraldus Obs. ad Jus Attic. IV, p. 314. Conf. et Petit. Leg. Att. VII, 5. v. Bynkershoek. Observ. Jur. Rom. III, 16. Sed poena dupli in Jure Attico in eum tantum casum statuta est, quo dominus rem ipsam non receperit: cujus ope et consilio furtum commissum fuerit, is decuplione vindicetur, simul praescriptum.

### Lex V.

#### De arboribus furtim caesis. a)

Si injuri alienas arbores caesit b), in singulas XXV aeris luito. c)

a) Probationem pro hac lege suppeditat 1) Plin. Hist. nat.

*XVII, 1. „Fuit et arborum cura legibus priscis, cautumque est XII Tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas, lueret in singulas aeris. 2) Paul. L., D. arb. furt. caes. Si furtim arbores caesae sunt — — sive e lege XII Tabul. de arboribus succisis.“*

Furti notionem e lege decemvirali latissimam esse, omnemque omnino subreptionem vel inscio alio clandestine factam amotionem continere indubitatum est, eaque furti notio quam exhibet *Gajus Inst. Comm. III, §. 195* certe antiquissima est.

b) *Si quis alienas arbores furtim caeciderit. Injuria, e. injuria* seu sine jure, nilque interest an arbores animo lucrifaciendi caedantur, vel solo nocendi. Et mallet legere et in ipso XII Tab. textu „furtim“ quo verbo Jureconsulti dein semper usi sunt. Quare et praefero *Heineccii in not. Ms. restitutionem*, qui ita legit: *si quis alienas arbores furtim caeciderit*“ ita ut verbo caedere etiam succidere subintelligatur.

c) *Pro singulis arboribus caesis XXV Asses solvito.* Intelligi aeris libras monet *Funccius*, quas appendere magis quam annumerare solebant, ut patet ex veteri scholiaste *Persii ad Satyr. 2, v. 9.* Idemque vult as libram cupri fuisse, quo teste *Isidoro Origin. XVI, 17* hoc tempore, cum aurum et argentum nondum in usu fuerit, ad compensanda pretia rerum utebantur.

## *Lex VI.*

### *Communia de furtis. a)*

Si pro fure damnum decisum escit b)  
furti ne adorato. c)

## Furtivae rei aeterna auctoritas esto. d)

- a) Duorum hujus legis capitum fundi sunt. 1) *Ulpian. L. 7 D. de cond. furt. Si pro fure damnus decisus sit, condictionem non impediri verissimum est: decisione enim furti quidem actio, non autem conditio tollitur*“, et *L. 4 D. §. 14 de pact. „De furto pacisci lex permittit.“* 2) *Justin. §. 2 Inst. de usucap. — „Nam furtivarum rerum lex XII Tabul. et lex Atinia inhihent usucapionem“, quibus addendus. 3) Gaj. Inst. Comm. II, §. 49. „Quod ergo vulgo dicitur“ furtivarum rerum et vi possessarum usucapionem per legem XII Tabul. prohibitam esse etc.*
- b) *Si de damno a fure illato transactum fuerit. Nam decidere veteres et optimi scriptores etiam pro pacisci et transigere dicebant. Cicero Verr. Orat. III, c. 28 et IV, c. 22, Sic et dicimus facere decisionem, pro conveuire de summa aliqua. Ita Funccius et jam pridem Gothofredus. Sed monet Heinecc. in not. Ms., verbum decidere et hic utrumque significare posse, et decisionem sententia iudicis et transactione. Quod si enim fur non manifestus confessus vel convictus ad dupli solutionem condemnatus fuerit, etiam de damno furto dato decisum esse.*
- c) *„De furto agere et accusare amplius jus non esto.“ Non est distinctio novioris juris quam facit Ulpianus inter furti actionem et condictionem, sed jam in XII tabulis ob caput sequens fundata.*
- d) *„Rei furtivae persecutioni nuncquam usucapionis exceptio opponi potest.“ Si sequi vellemus Gajum, et ejus „quod vulgo dicitur“ textui inserendum esset „et vi possessae“, similiter rerum vi possessarum usucapio prohibita fuisset: sed res in salvo est. Ab aliis textus exhibetur ita: „Ejus quod subreptum erit aeterna auctoritas esto“, forsitan*

ex *Gellii N. A. XVII, 7*, relatione de lege Atinia, in cujus priori membro ipsa decemvitalia [verba cum additione repraesentata videntur: non probante *Heineccio in not. Ms.*, cui lex XII Tabularum ad furtum solum spectasse videtur. Vix oculis vero fides habenda, cum nostra adhuc aetate distinguitur inter furem ipsum ejusque heredes et tertium, atque ad posteriorem legis tantum dispositionem pertinere contenditur: tempore enim XII Tabularum, quo praetoria praescriptio plane incognita nullaque consideratio fuit, an bona fides possessioni accesserit nec ne, et ipse fur usucapere omnino potuisset, nisi ei lex obstitisset.

---

## Tabula tertia.

### De rebus creditis. a)

#### *Lex I.*

#### *De Deposito. b)*

Si quid endo deposito dolo malo factum escit c) duplione luito. d)

- a) De rebus creditis hac tabula cautum fuisse *Gajus* cum *Dionysio Hal.* collatus docet. Nam cum ea, quae supersunt ex secundo Gaji ad legem XII libro, quo Gajus hanc et quartam tabulam interpretatus fuerat, fragmenta, ad tractatum de rebus creditis pertineant. at de jure patrio quarta tabula actum fuisse disertis verbis *Dionys. Hal. Lib. 2* testetur, superest omnino, ut tertia hac tabula de rebus creditis fuerit actum. Haec *Gothofredus*, atque rerum creditarum titulus autore *Ulpiano L. 1 D. de reb. credit.* omnes omnino contractus

quos alienam fidem sequuti instituimus, complectitur, ut mutuuum, commodatum, depositum, pignus et rel.: sed cum idem asseveret, verbum „rerum“ primo additum fuisse a praetore, mavult *Heinecc. in not. Ms.* hanc rubricam „De credito“ ut juri XII Tabul. magis consentaneam.

- b) Legis fundamentum est apud *Paulum Lib. II sent. rec. tit. 12* de deposito, qui locus refertur in *Colat. Leg. Mos. et Rom. X, 7* his verbis: „*Ex causa depositi lege XII Tabul. actio in duplum datur, edicto praetoris in simplum.*“ Eaque depositi actio rivulus esse videtur ex antiquissimo Atheniensium jure, quibus teste *Polluce Lib. VIII, c. 1* fuit *δίκη παρακαταθήρης*.
- c) *Si quid circa rem depositam apud se depositarius dolo malo admiserit.* Locum de omni dolo circa rem depositam admissio intelligendum esse, dubium non est. Et quidem nil refert, an depositarius vel negligendo vel corrumpendo vel subripiendo dolum commiserit.
- d) *In duplum condemnator.* *Duplionem* antiqui dicebant quod nos duplum, venit a Graeco „*διπλυν.*“ *Festus h. v.* Duplum vero hic intelligendum est non de usuris aut fructibus, sed de ipsa re deposita i. e. ut praeter ipsam rem depositam istius etiam aestimatio praestetur, vel duplex rei pretium, si ipsa res restitui non possit, vel perdita vel adeo corrupta.

---

Non agnosco quam hic inserendam putat aliam legem de commodato *Heinecc. in not. Ms.* hujus tenoris, ut qui commodatum ab aliquo accepit, indistincte pro eo obligetur. Nam vix credo, Romanos hoc aevo commodatum a deposito jam distinxisse, saltem tanti non habuerunt, ut de eo quidquam in XII tabulis dispositum fuerit. Similiter Jus Graecum nil de eo habet.

## Lex II.

## De foenore. a)

Si qui unciario foenore amplius foenerasset b), quadruplione luito. c)

a) Legis partem priorem *Tacitus* exhibet *Annal.* 17, 16: „Primo XII Tabulis sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret, cum ante ex libidine locupletium ageretur.“ Reliqua discimus ex *M. Catonis* proemio de re rustica, ubi: „Majores nostri, inquit, sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari; faeneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimaverint faeneratorem quam furem, hinc licet existimare.

b) Plus usura unius unciae ex sorte faenori dato sumserit. Foenus enim nihil aliud est ac usus, dictum a foetu et quasi foetura pecuniae parientis. *Festus* voc. *fenus*. *Non. Marcel.* c. 1, nr. 266. *Gell.* XVI, 12. *Varro de L. L.* 6. A foenore descendit *contractus foenoris*, qui a contractu mutui in eo differebat, quod hic gratuitus esset, et magis affectu, ille cum usuris conjunctus, et magis animo lacrifaciendi fieret. Ad contractum foenoris etiam proprie pertinet *actio ex calendario*. *Cujac. Observ.* XI, 97. Erat autem *Calendarium Codex accepti et expensi* tum in genere tum in specie ratione pecuniarum in foenore positarum. Honestius autem habitum omni tempore, mutuum sine usuris concedere. *Cic. de Offic.* II, 20. Jure Attico maxima foenerandi licentia fuit (*Petit. Leg. Att.* p. 39), Romanis contra ars illa nummos acquirendi maxime odiosa. Sed quid sit unciarium foenus valde disputatur. Vulgo res Romanorum foeneraria ita representatur. *As* dicitur centesima per menses solvenda quae sortem aequat mensibus centum sive annis VIII, mensibus IV. *Foe-*

*nus deunx*, quum undecim partes centesimae solvuntur, sive assis unciae undecim, quae sortem aequant novem supra centum mensibus i. e. annis VIII mense uno. *Dextans*, quum decem partes centesimae penduntur, quae sortem aequant annis X. *Dodrans*, quum novem centesimae partes solvuntur, sortem aequantes annis XI mensibus III. *Bes* octo continet centesimae partes et sortem aequat annis XII et mensibus VI. *Septunx*, quum partes centesimae septem penduntur, quae sortem aequant annis XIV, et mensibus IV. *Semissis usura* quae et semis et selibra vocatur, quum sex centesimae partes solvuntur sortem aequantes annis XVI et mensibus VIII. *Quincunx* partes continet centesimae quinque, et sortem aequat annis XX. *Trientales* usurae quatuor praestant centesimae partes, et sortem aequant annis XXV. *Quadrantes* tres centesimae partes habent ac sortem aequant annis XXXIII et mensibus IV. *Sextantes* duas habent centesimae partes, quae sortem aequant annis L. *Uncialis* usura sive ut in lege est unciaria, quum una centesimae pars, vel ex duodecim, quae unius librae sunt, una uncia solvitur, quae sortem aequat annis C. Vid. *Salmas. de Usuris*. Lugd. 13. 1638 *de modo usurar.* Ibid. 1639, et *de foenor. trapezitic.* Ibid. 1640. *Jac. Gothofredi Comment. ad Tit. Cod. Theod. de usuris.* Gronov. tr. *de foenore unciario et centesimis Usuris*, in *Oper.* p. 409 seq. — Leviorem adhuc fuisse unciarium foenus et centesimis usuris minus defendit *Noordt de foenore et usuris* II. 4. Foenus unciarium fuisse 12 pro Cent. putat *Hugo Röm. Rechtsg.* ed. nov. pag. 202 singulari praepriis computatione usurarum ductus, quae usitata fuit apud Romanos. Conf. et *Jul. Paul. Ostertag pr. Ueber die Berechnung der Zinsen bey den Griechen und Römern*, in *Ej. klein. Schrift.* I, p.

219 seq. *Jac. Heinr. Nast de re foenebri Romanor.* Stuttg. 1789. 4.

- c) Poenam quadrupli minati sunt decemviri ei, qui amplius unciario faenore foenerasset, quam poenam, cum mox in désuetudinem venisset, reduserunt Imperatores *Valentinian. Theodos. et Arcad. L. 2 Cod. Theod. de usur.* sed ea lex *Cod. Justin.* non est inserta,

### Lex III.

#### *De Jure crediti persequendi adversus peregrinum. a)*

Adversus hostem b) aeterna auctoritas esto. c)

- a) Hanc legem *Cicero* nobis conservavit *de Offic. I, 12.* „*Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Inducant enim XII Tabulae: Aut status dies cum hoste. Item adversus hostem aeterna auctoritas esto.*“

- b) *Adversus hostem* i.e. *peregrinum*, qui tempore XII hostis dicebatur. *Varro de ling. lat. IV, 1. Festus voc. hostis. L. 234 D. de verb. signif.* — Caeterum de varia *peregrini* significatione vid. *Ezech. Spannemium in Orbe rom. Exerc. I, c.1.*

- c) *Gothofredus* haec interpretatus est: „*peregrinus quidquam usucapere non valet; cujus adversus eum in perpetuum actio esto.*“ Similiter abí legem de *usucapione* intelligunt, ast manifesto errore. *Usucapio* enim est modus acquirendi civilis, quo *peregrinus* uti plane non poterat, atque opus certe non fuisset ejus exclusio a jure quodam civili. Certo certius est, legem loqui de extinctione juris persequendi crediti per non usum intra certum tempus, quae sequenti aevo praescriptio ex-

stinctiva appellata fuit. Haec quae bene adversus civem currit, adversus peregrinum nuncquam currere poterat. Videtur autem praescriptio extinctiva juris gentium fuisse, non juris civilis. Non obstat huic Jureconsultorum doctrina, omnes actiones ab initio fuisse perpetuas, atque subsequenti demum aetate temporarias factas, cum omni pro ea probatio deficiat. Atque certe inter ipsum jus persequendi ex legibus XII tabularum, et quae dein introductae sunt actiones tantum intererat, ut prius ex posterioribus plane adjudicari non possit. — Caeterum, cum ex *Gaji Comment. Inst. IV, §. 18* adpareat, singulari modo de rebus creditis actum fuisse antiquo tempore, non solum jus persequendi crediti adversus civem jure XII tabul. certo temporis spatio inclusum fuisse putarem, sed et ea de re quid in XII tabulis ipsis sancitum. Deesse itaque legem, quae hanc a Gothofredo exhibitam praeivit, quaque jus crediti persequendi adversus civem certo spatio inclusum fuerit, in aprico positum est.

#### *Lex IV.*

*De aeris confessis et condemnatis. a)*

Aeris confessi b), rebusque jure judicatis c) XXX dies justi sunt. d)

Post deinde manus injectio esto, in jus ducito. e)

Ni judicatum facit aut quips endo eo in jure vindicit, secum ducito f), vincito aut nervo aut compe-  
dibus XV pondo ne majore. At si  
volet minore vincito. g)

Si volet suo vivito h): ni suo vivit qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato i): si volet plus dato.

Ni cum eo pacit LX dies endo vinctulis retineto k): interibi trinis nudinis continuis in comitium prociato, aerisque aestimiam judicati praedicato. l)

— — — — —  
— — — —, m)

Ast si plures erunt rei, tertiis nudinis partis secanto: si plus minusve secuere se fraude esto. Si volent uls Tiberim peregre venumdan-  
tc. n)

- a) Legis partem sententiam partem ipsa verba exhibet *Gell. N. A. XX. 1.* „Hanc autem fidem majores nostri non modo in officiorum vicibus, sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt; maximeque in pecuniae mutuatice usu atque commercio. adimi enim putaverunt subsidium hoc inopiae temporariae, quo communis omnium vita indiget, si perfidia debitorum sine gravi poena eluderet. Confessis igitur aeris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendae pecuniae causa, quam dissolverent: eosque dies decemviri justos appellaverunt, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitutionem quandam et cessationem: quibus diebus nihil cum his jure agi posset, post deinde nisi dissolverent, ad praetorem vocabantur: et ab eo, quibus erant judicati addicebantur, nervo quoque aut compedibus vin-

*ciebantur, sic enim sunt, opinor, verba legis. Aëris confessi rebus. q. jure judicatis. triginta dies. justi. sunt. post. deinde. manus. injectio. esto. in. jus. ducito. ni. judicatum. facit. aut. quis. endo. em. jure. vindicit. secum. ducito. vincito. aut. nervo. aut. compedibus. quindecim. pondo. ne. majore. aut. si. volet. minore. vincito. si. volet. suo. vivito. ni. suo. vivit. qui. em. vinctum. habebit. libras. farris. endo. dies. dato. si. volet. plus. dato. Erat autem jus interea paciscendi; ac nisi pacti forent, babebantur in vinculis dies sexaginta, inter eos dies tribus nundinis continuis ad praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati essent, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim venum ibant. Sed eam capitis poenam sanciendae, sicut dixi, fidei gratia horrificum atrocitatis ostentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt, nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt, et quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes invidiam me istam forte formidare. Tertiis., inquit, nundinis. partis. secanto. si. plus. minusve. secuerunt. se. fraude. esto.*

- b) Scilicet nomine, per ellipsin graecissantem, ut volunt Gothofredus et Funcius. Alii nullum sensum in his verbis esse putantes, legunt *aëris confessus* et „*aëris confessis*“. v. *Bynker/shoek Obs. Jur. Rom. I. 1*, vitium scripturae, quod vocat, restituit „*reis confessis, rebusque jure judicatis*“ reis scilicet confessis, adeo sua sententia coudemnatis: vitium certe pro recto intrudens. Aes hic non sumi debere, nisi pro pecunia mutuaticia, Gellius indicare videtur et

defendit *Hugo Civil. Magaz. B. II. p. 485.* de hac solum loquens: sed quia in hac tabula non solum de rebus creditis generatim agitur, sed quae sequuntur verba „*rebusque jure judicatis*“ quoque innuunt, legis sanctionem generalem esse et ad omnes res creditas, pertinere, facile perspicitur vocem „*aeris*“ de omni re credita sumendam esse. Atque videtur lex praecavere voluisse, ne in fide sibi data quis fallat.

- c) Non opponuntur hoc loco judicata confessis, alterum potius alteri jungitur, in hunc modum, ut a judicato litis finis et executionis sit initium, a confessione vero et convictione sententia exeat.
- d) Induciae dantur in lege triginta dies seu integer mensis, cujus spatio confessam pecuniam conquirere et judicato satisfacere possit debitor, hocque temporis spatium dies justi dicebatur. Tralatitia sunt haec verba a militia in forum, nam in bello dies justi appellati sunt, quibus non licebat hostem lacessere aut rem aliquam repetere, illisque oppositi erant dies *praeliaries*.
- e) Decemviri manus injectionem nonsolum permiserunt in reum tergiversantem et in iudicium sequi nolentem, sed etiam in eum qui iudicio victus est. Modum procedendi describit *Gajus Inst. Comm. IV, §. 21.* „*per manus injectionem aequae de his rebus agebatur, de quibus ut ita ageretur lege aliqua cautum est, veluti iudicati lege XII tabularum, quae actio talis erat: qui agebat sic dicebat: Quod tu mihi iudicatus sive damnatus es sestertium X millia, quae dolo malo non solvisti, ab eam rem ego tibi sestertium X millium iudicati manus injicio; et simul aliquam partem corporis ejus predebatur, nec licebat iudicato manum sibi depellere, et pro se lege agere, sed vindicem dabatur, qui pro se causam agere solebat: qui vin-*

*dicem non dabat; domum ducebatur ab actore et vinciebatur*“.

- f) Vid. not. praec. Non potuisse duci debitorem a creditore in carcerem privatum, nisi permissu praetoris, ex verbis legis manifestum est. Sed quaestio est, an die, quo creditor cum capto debitore in iudicio comparebat addictio facta sit, simul permissum creditori debitorem secum ducere in carcerem privatum, vel an addictio jam praecesserit. Posterius sequi videtur e *Cicerone* (*de Orat. III, 63*) *Quanti addictus? mille nummum: nihil addo ducas licet*“ atque e *Seneca* (*in ludo de morte Claudii*) „*ad summum tria verba Silo dicat. et servum me ducat*“, Pro priori pugnat jam apud antiquos observata distinctio inter iudicatum ejusque executionem: et quod addictio ad executionem pertinere videatur. Omnia clara fiunt, si consideremus, non bona debitoris, ipsius potius personam creditori obnoxiam fuisse, quam creditor, dum de re credita agebat, simul vindicabat, in casu, quo obligatio non potuit adimpleri. Quare putarem, condemnationi simul adjectam fuisse clausulam, ut si obligationem intra justos dies non adimpleverit debitor, creditori addictus fiat. Jam apparet, quid sibi velint *Cicero* et *Seneca*. Nova post frustra praeterlapsos dies justos deductio debitoris in jus ideo necessaria erat, ut publice constaret, debitorem nondum satisfecisse creditori, et ne ei exceptio factae solutionis praecideretur. Putatur vulgo, ductionem in jus, de qua lex loquitur, duplici de causa fuisse factam, ut scilicet addictio peteretur, simul permitteretur ductio post adeptam additionem. Non enim in iudicio de debito amplius cognoscendum fuisse: ductionem post frustra praeteritos justos dies jam licuisse. Sed intererat reipublicae neminem, addictum quidem in eventum, inauditum duci, et si quoque non ampliu

cognoscendum erat de debito, de exceptionibus tamen ductioni obstantibus cognosci poterat.

Ductionem effugere potuit debitor tribus modis: 1) si in jus raptus solutionem non offerebat solum, etiam praestabat. 2) si eam factam esse demonstrabat, quem in finem tum ad testes et instrumenta provocationem tum juramenti delationem ei permissam fuisse puto. Denique 3) si erat qui eum in jure vindicaret. Iterum hic obvenit vindex, sed alio significato. Est sermo de executione rei judicatae, contra quam nec defensio, nec fidejussio et expromissio, sola tantum solutio quidquam valent. Quare hic vindicem puto eum fuisse, qui mox pro debitore solvebat, ut eum a ductione liberaret, vel volente creditore, cui aliud pro alio obtrudi non poterat, se pro debitore addicto, addictum et ducendum daret. Manifesto errore ad hunc locum *Funcius* etiam expromissionem trahit, melius *Hoffmannus* solam solutionem. Atque huc pertinere quodapud scriptores legitur, filium pro patre se addictum ducendumque dedisse: Filius enim ut infra dabimus probatum, per patris additionem jam ejus potestate exierat.

- g) Praescribit lex, quo modo vincendus sit debitor ne effugiat. In plurimis *Gellii* editionibus vitiose scriptum est „*neminore. Aut si volet majore vincito*“, eaque jam diu a Jureconsultis reprobata lectio in edit. *Gell. Bypontina* adhuc invenitur. Superfluum esset plura de ea dicere, cum vix cogitari possit, decemviros tale quid scripsisse. Ne vinculis gravari possit debitor, de qua re olim admodum conquerebatur plebs, illi prospicere voluerunt, non sancire, ut ultra ipsius creditoris arbitrium magis gravaretur.

Optio conceditur creditori, utrum debitorem nervo an compedibus vincire velit; conjungi etiam solebat apud veteres utrumque vinculum

ut in furibus *Gell. XI. c. ult.*: caeterum *nervus* erat colli vinculum ferreum vel ligneum, *compedes* vero sunt, quibus pedes includuntur. *Nervum* tamen interdum pro *compedibus* sumtum esse docet *Festus* voc. *nervus*.

- h) Si quis captus vinctusque esset, ut suo sumtu et aere vivat, i. e. ut victum et amictum sibi comparare ei liceat: qua ex legis dispositione sequitur, creditori et ne minimum quidem jus in bona debitoris fuisse: debitori potius etiam post additionem dispositionem de iis competisse.
- i) Unam quotidie farris libram in nervo debitori suo, qui de suo vel vivere non possit vel nolit porrigere lex jubet. *Libram semis farris* legendum putat *Guil. Fornerius select. 6*, sed sine sufficiente ratione a vulgari lectione recedit. Nec legendum cum *Raevardo libram pro libras*. Est autem *far* hoc loco omne genus frumenti, quod si molitur farinae nomen accipit. Atque *forina* ipsa hic intelligitur, ex qua debitor si velit panem coquere vel pultem possit. Erat autem *libra farris* diurnus victus servorum atque adeo addictorum.
- k) *Funccius* legit: *interea paciscendi jus esto. Ni cum eo pactus est* etc. quae lectio omnino praeferranda videtur. Ita enim *Gellius*: *Erat autem jus interea pacisceudi*. *Pactionis* verbo autem hic omnis quaecunque conventio cum debitore comprehenditur, vel remissionem, vel compensationem, vel fidejussionis dationem concernat. Debitor si solverit, ipso jure a captivitate et vinculis liberatus est, atque necesse non erat, ut ea de re quidquam a decemviris sanciretur. Caeterum quod scripsit *Gothofredus* „*pacit*“ defenditur ex *Festo*: „*pacionem antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus. Unde et pacisci adhuc et paceo in usu remanet*“.

1) Nisi pactus fuerit, addictum creditor sexaginta tantum dies in vinculis retinet; Novum sic debitori conceditur spatium, si forsitan ipse suam voluerit recuperare salutem, aut alius vindicare eum solvendo. Sed ne supervideretur miser eumque oblitio tangeret intra hos 60 dies in forum producendus erat tribus nundinis continuus. Nam nono quoque die rustici urbem adire solebant ad mercatum, ad iudicia, ad leges cognoscendas, aliaque peragenda negotia, *Macrobi. Saturnal. I, 16.* Cum ergo nundinis undique magnus esset in urbe populi confluxus: tribus continuis vicibus sive trinundino addicti et capti a creditoribus ex vinculis in forum producendi erant, et publice erat pronuntiandum, pro qua summa addicti essent, ut si forte fortuna ex populo aliquis misericordia vel amicitia commotus pro vincio pecuniam solvere velit, miser ille liberaretur: omnes vero intelligerent, homini nullam vel a iudice vel a creditore injuriam fieri. Et hoc in lege dicitur *procurari. Festus h. v.* Et locus ad quem ducendus, erat comitium, quod hic, uti discimus ex *Livio I.*, locum significat in foro juxta curiam, ubi disceptabantur causae, et comitia a populo habebantur curiata. Et sistendus erat iu jure coram praetore, ut rite ac secundum leges agerentur omnia.

Videtur ante XII tabulas alius longe et quidem hic procedendi modus obtinuisse, ut debitor condemnatus, qui statim non posset solvere, vindicem quoque non inveniret, creditori addiceretur, dein plane ejus arbitrio committeretur. Poterant itaque creditores dein pro liberatione debitoris majorem summam postulare ea, in quam debitor condemnatus erat, scilicet pro damno illis mora debitoris dato, pro alimentis in carcere praestitis etc.; atque ad hanc creditorum licentiam pluribus locis respicere videntur *Dionys. Hal.* et

*Livius*, querelas plebis narrantes. Inducias pro condemnatis pluries postulas esse a plebe quidem apud utrumque legitur, sed an datae fuerint, non constat: datas a praetoris arbitrio dependisse certum est. Sors itaque debitorum lege decemvirali minime durior reddita est: admodum potius lenita duplicibus induciis ante et post additionem ad nexum, addito que novo procedendi modo, quo et civium misericordia in auxilium vocatur.

Mavul *Heinecc.* in not. ms. pro „*LX dies*“ legere „*XXVII dies*: hanc enim lectionem verbis „*interibi tribus nundinis continuis*“ plane convenire; item verbis sequentis capitis „*tertiis nundinis in partes secanto*“. Et *Gifanium* ita quoque in veteri codice ms. invenisse ait: similiter legi in editione principe *Gellii*. Et vix dissentiendum ab *Heineccio*, cum aegre ferri possit duplicatum dilationis [spatium post simplex frustratum, atque post nexum jam factum debitorem. Sed *Boschi* habet „*ali XXX dieis in vinculis habeto*“ quod verius videtur.

- m) Deesse hic plura et *Gothofredi* restitutionem in capite sequenti plane falsam esse contendit *Heineccius* in not. ms. Ex sola enim jam *Gellii* relatione hic legendum esse:

*Tertiis autem nundinis capite poenas dato,  
aut trans Tiberim venum ito,*

et caput sequens ita constituendum:

*Ast si plures sunt quibus reus addictus est,  
tertiis nundinis partes secanto, si plus  
minusve secuerunt se fraude esto.*

Sed cum manifeste appareat *To* „*tertiis nundinis*“ in ultimo capite legis a *Gellio* ex superiori tantum repetitum esse, ita a decemviris scriptum videri: ●

*Tertiis autem nundinis capite poenas sumito:  
si volet uls Tiberim venumdato.*

*Si plures erunt rei, partis secanto, si plus minusve secuerunt se fraude esto.*

To „*Ast*“ vero jam rejecerat *Heineccius* in *Antiq. Jur. Rom. III, 30. 4*, et nullo quoque modo defendi potest. Atque jam pridem utrumque caput ita exhibuit *Fulv. Ursinus*: „*postidea de capite addicti poenas sumito, aut sei volet trans Tiberim peregre venundato. Ast sei plusebos addictos siet, tertieis nundineis parteis secanto, sei plures minusve secuesint se fraude estod*“ quem etiam sequitur *Raevarius*.

Caeterum capitis poenam privato jure de debitore sumi potuisse nullum dubium est, nisi velis duplicem cum *Heineccii* in *not. ms.* statuere addictionem ad nexum, et ad servilem conditionem, quae nullo modo defendi potest.

Superest adhuc quaestio de hac capitis poena, quae multum facit ad intelligentiam capitis ejus quod sequitur. Sed istam merito quaestionem ad ipsum caput sequens referendam putamus.

- o) *Si vero plures sunt creditores post tertias nundinas in partes secanto, si plus minusve secuerint, impune esto: si malint ultra Tiberim peregre venundanto.*

Legerem hoc legis caput, ut jam monui ex *Heineccii* restitutione, qua cum priori certe optime cohaeret. Multum de vero hujus capitis sensu inter viros doctos disputatum est, cum alii illud de vera dissectione corporis debitoris addicti et decapitati dilaceratione intelligant, alii praeunte *Bynkershoeckio* de venditione ejus publica et dividendo pretio inter creditores, alii denique de sectione bonorum vel sola, vel simul cum ipsa persona debitoris, ita ut haec posterior uni vel alteri creditorum in servilem conditionem data fuerit, vel pluribus, divisim inter eos operis. Confer praeter commentatores ad leg. XII Tabular. *Ant. Contii lect. jur. civil. lib. II, c. 18.*

*Corn. v. Bynkershoek Observ. Jur. Rom. lib. 1. c. 1. Joa. Frid. Iugleri Diss. Dubia de sectione debitorum apud Romanos interpretationi Bynkersch. opposita. Lips. 1741. Jo. Taylora Comm. ad leg. decemv. de inope debitore in partes dissecando. Cantabrig. 1742, Herrm. Cannegieseri Observat. Jur. Rom. Lib. I. c. 16. A. J. Mazochii Comm. in Regii Herculan. Musei aeneas tabulas. p. II. p. 434 — 436. G. F. Buddei Opusc. T. II. no. 5, J. H. de Raadt D. de statu conditione et juribus debitorum obaeratum apud Romanos. Groening. 1763. in Oelrichii Thes. nov. Diss. Belgic. Vol. III. T. 1. p. 248 — 352. Lor. Jacuzi Dissertatione della diritta interpretatione della legge decemvirale determinante la pena de' debitori falliti. In Napoli 1768. Gottl. Wernsdorfii epist. de capitis poena et sectione ex legib. XII. Tabul. Vitemb. 1770. Ruttg. Ouwens in noctib. Haganis c. 20 et Dabelow Ausfuhr. Entwickel. der Lehre vom Concurse der Gläubiger c. 3. et 4. Priorem sententiam, scilicet de dissecando ipso corpore debitoris vel distribuendis frustis inter creditores, vel potius eo procedendi modo, quo quisque creditorum in concursu sibi vel partem corporis vel frustum ex eo secet, fere oblitam nostro aevo, resuseitavii illustr. Niebubrius Römische Geschichte p. II. inquit: Waren mehrere Gläubiger, so gestattete ihnen das Gesetz den Verurtheilten nach dem Uncialverhältniß ihrer Schuldforderung zu zerhauen; und eine ausdrückliche Clausul (si plus minusve secuerint etc.) die es unsträflich machte, dieses Maafs nicht ganz genau beobachtet zu haben, befreite sie von der Exception, welche Shylock bei einer ähnlichen Rechtsbefugniss im Wege stand“, eumque jam alii sequenti sunt, inter quos hic modo nominamus Gansium in*

*den Scholien zum Gajus* p. 56. atque ipse *Hugo* l. c. p. 245 haesitat. Atque stat pro isto legis sensu ipse *Gellius* addens: „Nihil profecto immitius nihil immanius, nisi ut re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas poenae denuntiata est, ne ad eam unquam perveniatur. Addici namque nunc et vinciri multos videmus — dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi, quoniam saevitia ista poenae contemni non quita est“. —

Forte non displicent, quae ex *Gifanii* lucubrationibus in Gellium exhibet *Heinecc.* in *not. ms.* „Non dubitarunt, inquit, Romani ante leges XII tabulas latas, quin pro re credita corpus debitoris obnoxium sit, idque moribus fuit fundatum. Quare et nemini in mentem venit de justitia addictionis in servitutem dubitare, cum debitor non posset solvere creditori suo, neque de ea facta unquam conquesti sunt. De modo tantum testibus *Dionysio* et *Livio* conquereretur plebs: nullas inducias dari condemnato: illum ilico a creditore captivum duci, in nexu et vinculis teneri, maleque tractari. Atque vere dein servus effectus, et ne aufugeret nervo et compedibus vinctus Romae circumiens, et de sorte sua conquerens: hoc iterum spectaculum prae-buit ad seditionem invitans. Ut his plebis querelis, simulque omni seditionum malo obviam iretur, decemviri primum in XII tabulis plures dilationes debitori dandas posuerunt, hisque frustratis creditori electionem praescripserunt, vel occidendi debitorem addictum, id enim est „capitis poenas sumito“, vel uls Tiberim peregre venum-dandi, ne amplius Romae existat. Quod de sectione in partes, si plures adsunt creditores, praescripserunt, videtur consequentiae causae additum, simul eum in finem, ne ullo modo Romae servaretur debitor, cum certe unus vel alter creditorum

sibi aliquid secuerit (quod et innuit *Niebu-  
brius*). Affirmanti Gellio, dissectum esse quen-  
quam, se neque legisse neque audivisse, facile  
credi potest, tum ob facti licet legitimi infamiam,  
tum quod omnino interesset impedire, quo minus  
tale quid fieret, vel solutione ejus quod debebatur,  
vel pro eo intercessione“.

Hoc certum est, debitore addicto, eum solum,  
et neque familiam neque bona ejus in potestatem  
creditoris pervenisse. Quare si lex intelligitur de  
secando alio quo ac corpore debitoris, quem sen-  
sum praefero, de secandis solis operis servilibus  
in servitutum detrusi intelligi debet, quo simul  
limitantur, quae ea de re in libro nostro de con-  
cursu creditorum supra citato disputavimus. Ca-  
eterum legem, quidquid disposuerit, nuncquam in  
usum venisse omnes consentiunt.

---

## Tabula quarta.

### De Jure patrio et connubii. a)

#### Sectio prima.

#### De Jure patrio. b)

#### *Lex I.*

#### *De partu monstroso. c)*

Pater insignem ad deformitatem pue-  
rum cito necato. d)

- a) De iure patrio in tabula quarta sancitum fuisse *Dionys Halic. II. p. 97* autor est: an etiam de iure connubii nescitur: colligitur modo ex supplementis in Tab. X, et quod vix alio loco de hac materia sanciri potuerit.
- b) Collectae sunt leges, quae sub hac prima sectione continentur: 1) ex *Cicerone de legib. III, 8.* „Deinde cum esset cito necatus, tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer etc. 2) Ex *Dionysio Halic. II, 4*, qui cum legem Romuli de patria potestate retulisset addit“ Xviri quibus a populo potestas data fuerat, colligendarum et conscribendarum legum, eam inter caeteras retulerunt, ut exstat in quarta illarum XII tabularum, quae in foro positae ita vocantur“. 3) Ex *Ulp. fragm. X. pr.* „Idem Lex XII Tabularum jubet his verbis: si pater filium ter venunduit, filius a patre liber esto“, cui nunc addi posset *Gaj. Comm. Inst. I. §. 132* nisi in textu lacuna esset. 4) ex *Gellio N. O. III. 16.* „feminam bonis atque honestis moribus non ambigua pudicitia in undecimo mense post mariti mortem peperisse, factumque esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset: quoniam decemviri in X mensibus gigni hominem non in undecimo scripsissent etc. — 5) Ex *Ulpiano in L. 3 D. de suis et legit. Heredib.* „Utique ex lege XII Tabular. ad legitimam hereditatem is qui in utero fuit admittitur, si fuerit editus — post X menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem.“
- c) Tertio loco hanc legem posuit *Fuñccius*, sed male. Ex Romulea legislatione eam desumptam esse, dubium non est (vid. supra p. 6). Mutationem tamen eam passam esse putat *Hoffmannus*, cum lege decemvirali pater puerum monstruosum cito necare jubeatur, ex lege Romuli vero occidendi illum potestas tantum, advocatis prius quinque

testibus patri data sit. Sed ex Cicerone certe non patet hujus legis ambitus, atque plane nescitur, quantum e lege Romuli in XII Tabulas receptum fuerit. Atque Pothier. etiam inseruit „*ex judicio quinque virorum e vicinia*“.

- d) *Gothofredus* in paraphrasi exhibet „*pater filium sibi natum monstrosum vel prodigiosum statim necato*. Sed „*insignis ad deformitatem puer, et monstrum*“ etiam exhibetur in Pandectis.

Certe differunt: Et puto Romanos hoc tempore nondum inter partus monstrosos aliosque vitiosos distinxisse. In Romulea quoque legislatione non occurrit haec distinctio. Quare, si quid video, verbum „*insignis*“ decemviris tribuendum est, ita ut non omne mutilum aut alioqui monstrosum natum necari potuerit, sed insigne tantum ad deformitatem. Sed et quod lege Romuli tantum licuit, hic imperatum videtur: ea immo cum adjectione, ut cito fiat. Atque in masculino genere tantum usus legis spectandus: contra in foeminino Romulea legislatio servata videtur.

## *Lex II.*

### *De vitae necisque potestate.*

Endo liberis justis jus vitae necis vendandique potestas ei esto. a)

- a) Legem perbene restitutam, in paraphrasi male ita reddit *Gothofredus*: In liberos justis ex nuptiis quaesitos etc. Liberi enim justis sunt nonsolum ex justis nuptiis quaesiti, sed et adoptivi. Eadem est quae Romuli (vid. p. 21.) aliis forsitan tantum verbis concepta. Quae etiam posset, an restitutio perfecta sit. Vix enim est, ut decemviri legem

Numae V. pag. 32 praetermittere potuerint: praetermissam non esse sequens aetas probat.

Quod venundandi potestas ubique separata invenitur a jure vitae et necis probat, utrumque jus ex diverso plane fonte derivandum esse. Atque in veteribus legibus populorum Septemtrionalium, quibus non agnoscitur jus hoc vitae et necis, vocantur tamen parentes domini liberorum atque illis tribuitur venundandi potestas, similiter ut apud veteres Romanos. Venundatio vero nihil aliud est ac translatio juris ac potestatis in alium pro certo pretio: idem quidem fit in servi venditione, sed hic potestas in rem transfertur, ibi in personam.

### *Lex III.*

#### *De venditione filii.*

Si pater a) filium ter b) venunduit, filius a patre liber esto.

- a) *Filius ter a patre venundatus post tertiam venditionem a patris potestate liberatus esto.* Trinam hanc venditionem non de imaginaria sed vera accipit *Dionys. Ital. II, pag. 97*: dissentiunt *Raevardus ad leg. XII, Tab. c. 3* et *Guill. Regius Εὐαντιοφάνων lib. I. c. 21*. Interim non negandum est, ex ea ortam esse antiquam illam emancipationem, cujus ritus recensentur in *Gaji epit. Inst. I. §. 3* (e *Gaji comment Instit.* ipsis, quos iam habemus, vix plura ediscenda sunt, cum locus huc pertinens adeo mancus sit) qui locus tamen Aniani manu admodum corruptus est. Fiebat illa emancipatio certis formulis atque solennitatibus, quarum primaria erat trina venditio nummis traditis et intercedente

mannumissione. Conf. *Heinecc. Ant. Rom. I, 12*, qui ritus antiquos emancipationis luculenter et accurate exposuit. —

Caeterum et aliis adhuc modis antiquissimo tempore liberationem a patria potestate contigisse adparet ex *Ulpian. Fragm. X, 5*, et *Gajo I, §. 130 et 131*.

- b) Trinam hanc vendittonem ad filios tantum spectare, non etiam ad filias una jam venditione a patria potestate liberat, autor est *Gajus l. c. I, §. 132*: similiter non ad nepotes in quibus idem jus fuit, quod in filiabus.

### *Lex IV.*


#### *De posthumo.*

Si qui ei in X mensibus proximis posthumus natus escit, justus esto. a)

- a) *Si filius patri post mortem ejus intra decem menses proximos a morte natus ex uxore erit, justus ei filius esto.* Hanc legem sub rubrica *de jure conjugii* in fine collocat *Heinecc. in not. ms.* et ut puto recte, *Hotomannus* et qui eum sequuti sunt, *Rosinus Rittershus.* alii. legem exprimunt ita: ut si qua mulier post viri mortem in X mensibus proximis pareret, qui quaeve ex ea nasceretur suus suave in viri familia heres esset. *Lud. Charondas* vero sic: In X mensibus perfectum partum gigni jus ratumque esto. Menses lunares intelligendos esse pntat cum aliis *Funccius*. Adversatur *Hoffmannus*, mensis appellatione intelligi tricenos dies inquit, atque in ista temporis computatione de mensibus solaribus et lunaribus non quaeri posse. Sed mensis ad 30 dies computatio legibus XII tabul. multo junior videtur,

## Sectio secunda.

## De Jure Connubii. a)



a) *Heinecc. in not. ms.* putat, integram hanc tabulam solum de jure patrio egisse, simul de duplici ejus acquirendi ratione, *justis nuptiis et adoptione.* Atque jam pridem fluxerat *Hottomannus* legem de adoptione his verbis: *Ut qui alterius filium familias sibi ab ipsius patre mancipatum in filii familias locum adoptaret, is vitae necisque in eum potestatem haberet, essetque hic illi filius familias, uti si ex ipsa matre familias natus esset.*

b) Romuleae legislationis de hac materia (vid. p. 18 seq.) summam hic positam fuisse plerumque putatur, sine ulla tamen probatione. Quidquid sit, hoc certissimum est, duplex matrimonii genus apud Romanos post leges XII tabularum fuisse, alterum quo uxor in manum mariti convenerat, alterum quo libera fuit ab hac manu: et utrumque jam a primis fere reipublicae temporibus existisse, audeo dicere. Eoque pertinent verba *Ciceronis* in *Topic.* „genus est enim uxor. Ejus duae formae: una matrum familias (hae sunt quae in manum convenerunt) altera earum quae tantummodo uxores habentur“, quae male admodum interpretatur *Boethius*, matrimonium usu fingens, quod nuncquam existit. Sed et matrimonium per confarreationem et per coemptionem nuncquam ita existit, ut confarreatione et coemptione nuptiae proprie inirentur. Nuptiae enim celebrabantur solo consensu solen-

niter declarato : in manum mariti e contra uxor veniebat solenni coemtionem et usu. Atque coemtionem simul illa in familiam mariti intrare poterat; omnisque ejus humani juris particeps fieri : ut divini quoque juris mariti communicatio fieret, confarreatio accedere debebat. Cumque, quae in manum mariti convenisset, ut etiam in familiam ejus intraret consequens videretur, sequenti tempore interpretatione invaluit, ut quae usu fieret uxor conventa et pro filiafamilias haberetur: quod hoc aevo certe non obtinuit. Vid. quae infra ad Tab. VI dicta sunt. Sed non sequenti aetate demum inventum videtur, quod *Gajus Instit. Comment. I. §. 172* asseverat, uxores et iam confarreatione in manum mariti convenisse, in ipsis potius XII Tab. fundatum. Ferri enim non poterat, ut quae divini juris mariti particeps facta sit, extra ejus manum esset. Atque, quae in manum mariti convenerat, materfamilias, quae non, uxor tantum dicebatur. Somnia certe sunt, quae apud Jureconsultos de triplici Romanorum matrimonio per *confarreationem* per *coemtionem* et per *usum* circumferuntur, ex falsa Boethii interpretatione petita. Confarreatio enim, similiter coemtio et usus, sunt tantum accessiones matrimonii, non ipsa matrimonii forma. Atque haec expressim firmat *Gajus Inst. Comment. I. §. 110 seq.* Atque usum ex legibus XII tabularum primum accessisse infra probatum dabimus : hic modo de restitutione legum deperditorum agendum. Conjicit *Heineccius in not. ms.* decemviros posthabita matrimonii forma, moribus satis cognita, primo loco scripsisse : jus patrum justis tantum nuptiis et adoptione adquiri posse, dein de matrimonio, cui accessit confarreatio et coemtio, egisse, legemque Romuli XVII pag. 18 recepisse, adnectentes his legem de repudiis, quam *Gothofredus* male collocaverit in Tab. VI. alt. loc., et in adoptionis materia finisse. Plu-

ribus modis restitutionem legum deperditarum tentaverat Heinecctus, sed omnia dein iterum delevit.

*Restitutio hujus tabulae ex conjectura.*

Unam tantum uxorem ducito eamque civem  
(*Petit. leg. Att. 41*).

Cum peregrinis jus connubii nec esto.

Ab incestuoso coitu abstineto. Qui contra fecerit — — — —. (Lex Numae p. 42).

Utroque parente cive, nati soli cives sunt.  
(*Petit. l. c. p. 11*).

Mulier secundum sacras leges viro conjuncta fortunarum et sacrorum socia illi esto (Lex Rom. p. 18), eaque in manu mariti esto.

Extra quas quae viro se junxerit in ejus manu nec esto, nisi seorsim [conventa vel ei dein usu subjecta (vid. infr. legem de usucapione mulieris ut vulgo vocatur).

In liberis justis jus vitae necis, venundandique potestas patri esto.

Si qui patri in X mensibus proximis posthumus natus erit, justus esto.

Justos inter liberos etiam adoptatus esto.

Si quem orbem, rerum suarum dominus adoptaverit, ea adoptio rata esto (*Pet. leg. Attic. p. 11*).

Hominem sui juris non nisi rogatione apud populum adoptato.

Si pater filium ter venunduit filius a patre liber esto.

Patri qui filio uxorem dedit juxta leges sacras nullum amplius filium vendendi jus esto (Lex Numae p. 34).

Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.

Virum uxor ne deserito. Uxoꝛem quae stuprum passa aut venenum parasse aut liberos clavesque subjecisse probatur, repudiandi jus esto (Lex Romul. p. 20).

Si vir mulieri repudium mittere velit, harum causarum dicito unam,

---

## Tabula quinta.

### De Hereditatibus et Tutelis a).

#### Sectio prima.

### De Hereditatibus et Tutelis testamentariis b).

#### *Lex unic. c)*

Paterfamilias d) uti legassit e) super pecuniae tutelaeve rei suae, ita jus esto f).

a) Hac tabula quinta de *jure hereditatum et tutelae* actum fuisse ex conjunctione librorum *Gaji ad XII tabulas* demonstrare conatur *Jac. Gothofred. in not. ad h. t.*

b) Prius de hereditatibus et tutelis testamentariis fuisse actum quam de legitimis, non modo ordo successionis et tutelae observatus suadet, quo, deficiente testamento, hereditates et tutelae ad successores ab intestato devolvuntur, sed etiam verbis expressis testatur *Ulpian. in L. 1 D. si tabul. nullae exstab.*

- c) Fundus hujus legis sunt *Cicero de inventione II, 50* et *Cornific. rhetor. ad Herenn. I, 13*, qui concepta legis verba ita tradiderunt: „paterfamilias uti super familia pecuniave sua legavit, ita jus esto“. *Pomponius L. 120 D. de verb. signif.* verbis legis XII Tabul. his: uti legassit suae rei ita jus esto: latissima potestas tributa videtur et heredis instituendi et legata et libertates dandi, tutores quoque constituendi. *Ulpian. fragm. XI, 14*: „Uti legassit super pecunia tutelane suae rei, ita jus esto“ cui jam addend. *Gajus Inst. Comm. II, §. 224* „Idque lex XII tabul. permittere videbatur — — his verbis: „Uti legassit suae rei ita jus esto“. *Justinian. pr. Inst. de lege Falc.* Quum olim lege XII tabul. libera erat legandi potestas — — tum ea lege ita cautum esset: uti quisque legassit suae rei ita jus esto“.

Solliciti simus autem omnia de vera legis lectione. Verbum „paterfamilias“ plane rejicit *Erb: Unächtheit des „paterfamilias uti legassit“ in den XII Tafeln in Hugonis Civilist. Magaz. B. IV. pag. 462 seq.* cum neque *Ulpianus*, neque *Pomponius*, neque demum *Justinianus* et *Theophilus* (similiter et *Gajus*) illud habeat, apud quos omnes simpliciter legitur „uti legassit“ atque illud verbum solummodo Autor ad *Herenn. ha-* beat, qui illud ex loco *Ciceronis de invent. II, 50* hauserit: ubi *Cicero* quidem“ est lex, inquit, paterfamilias uti legassit etc. ei vero verba ipsa legum duodecim tabularum exhibere non fuerit in animo. Superfluum quoque partem esse hoc verbum, cum *Ulpiano* (*fragm. XX, 10*) teste filius familias nihil suum habeat ut testari de eo possit: filiusfamilias quoque, nisi magistratum gereret, juris comitorum particeps non fuerit: partem etiam illud plane poni non potuisse in XII tabulis, cum mulieribus sui juris jus testamentum condendi autore tutore competierit.

Posterius argumentum certe decideret, si jus mulierum testamenta condendi jam tempore legum XII tabularum accipi posset: quod ideo nego, cum praeter testamenta in *procinctu* et in *comitiis calatis* nulla alia testamenta in usu essent, jus vero comitiorum aequè mulieribus non compete-  
 bat. Atque vel lex insigniter mutanda vel verbum „*paterfamilias*“ admittendum est: de tutela enim certe legare non poterant mulieres. Quaeri tantum potest, an legi debeat, cum *Pomponio*, *Gajo* et *Justiniano*: *paterfamilias, uti legasset suae rei etc.* vel cum *Ulpiano*: *p. u. l. super pecunia tutelave suae rei etc.* et indistincte praefendam puto *Ulpiani* lectionem, quam et probat *Pomponius* explicatione, sua, cum *Gajus* et *Justinianus* respectu solum habito ad legata legem citent.

- d) *Paterfamilias* i. e. princeps familiae *L. 197 D. de v. 5.* et in genere homo sui juris et jus comitiorum habens.
- e) *Quo modo in casum mortis disposuerit.* Vox legati in XII tabulis late patet, et idem quod testari significat: immo ad omnes actus, quae in testamento fiunt extenditur. *L. 120 D. de V. S.* Sed quomodo testatum fuerit hoc tempore audiamus *Gajum Instit. Comm. II. §. 101*: „*Testamentorum uitem genera initio duo fuerunt, nam aut calatis comitiis faciebant, quae comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est, cum belli causa ad pugnam ibant; procinctus est enim expeditus et armatus exercitus. Alterum itaque in pace et otio faciebant, alterum in proelium exituri. §. 102.* Accessit deinde tertium genus testamenti, quod per aes et libram agitur. Qui neque calatis comitiis, neque in procinctu testamentum fecerat; is qui subita morte urgebatur amico familiam suam id est patrimonium suum mancipio dabat, eum-

que rogabat, quid cuique post mortem suam dari vellet, quod testamentum dicitur per aes et libram: scilicet, quia per mancipationem peragitur“, Posterius testamentum post duodecim Tabulas primum inductum, et dein iis quoque datum videtur, qui ideo testari non poterant, quod jure comitiorum exclusi essent.

- f) *De bonis suis et liberorum suorum tutela; ita jus esto.* More graecorum secundum pro sexto casu posuit *Gothofredus*, et exempla sunt, Latinos Atticismis usos esse: sed cur non potius cum *Ulpiano* latine scribeudum. *Pecuniae* vocabulo non solum numerata pecunia, sed omnes etiam reliquae patrifamilias possessiones, facultates, praedia, domus, agri, mobilia, opes, ipsi etiam servi, mancipia, eorundemque jura continentur. *L. 122 et 178 D. de verb. signific.* Verbo *rei* hic intelliguntur tum familia in sensu stricto i. e. complexus eorum, qui sunt sub patria potestate testatoris, tum iterum bona: de tutela enim non personarum modo, immo et bonorum agitur, et magnopere fallunt, qui pro „*rei*“ scribendum putant *familiae* eg. *No odt. Observ. II, 19*: ita quoque intelligendam esse puto *Pauli* Observationem in *Leg. 53 D. de verb. signific.*, qua praesertim pro hac mutatione utuntur. Nec obstat juris regula, tutorem personae non rei vel causae dari, cum haec subtilitas decemviros plane fugiat, quique dat tutorem personae, simul ejus bonis det. Et nollem cum *Heineccio* in *Antiq. Jur. Rom. I, 13, §. 2* verba „*tutelave rei, suae*“ ita torquere, ut ex iis et dominium quiritarium in liberos, quod plane ridiculum est, et pupillaris substitutionis facultas, de qua posteriori hoc tempore vix cogitari potuit, descendat. Caeterum haec res *Merulam* movit, ut duas diversas leges fuisse crederet, alteram de bonis relinquendis; alteram de tutela constituenda, quam

posteriorem auctoritate *L. 1 D. de tutel. patron. ita expressit: patrei. libereis. sueis. quosq. habet. in potestate. cujuscunque. Sexus. tutores. testamento. dandi. jous. estod.*

Caeterum dubitari non potest, decemviros patri-familias liberrimam de bonis disponendi facultatem tribuisse, et qualescunque voluerit, heredes instituendi: verum etiam nominandi tutores, qui heredum aetate minorum habeant curam, eosque ut salva sit pecuniae possessio tuantur atque defendant: posterius tamen jus ad eos restrictum fuit, qui tempore mortis adhuc in potestate erant. Quibus formulis verbisque conceptis tutores testamento dati fuerint, docet *Brisson. de formul. VII, 50.*

Sed quae fuerit circa tutelam ordinandi potestas non liquet, *Gajum* si sequimur *Inst. Comm. I. §. 144.* liberis masculis impuberibus tutorem poterat dare tantum usque ad pubertatem, foeminis vero etiam ultra pubertatem propter levitatem. Sed latissimam patris potestatem ex lege decemvirali puto, atque locum *Gaji* ita intelligendum, ut si paterfamilias liberis masculis et foeminis simul tutorem dederit sine adjectione temporis, prior datio ad impubertatem tantum restricta veteribus visa sit, posterior non.

## Sectio secunda.

### De Hereditatibus et Tutelis legitimis.

#### *Lex I. a)*

Ast si intestato moritur b) cui suus heres non escit c), agnatus proximus

familiam habeto d): si agnatus nec escit, gentilis familiam haeres nancitor e),

- a) Legis hujus apud autores plurimos fit mentio, qui verba illius aliter atque aliter referunt. *Cicero de invent. II, 50*: „Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque ejus agnatorum gentiliūque esto“. *Ulpian fragm. XXIX pr.*: *Id enim cautum est lege XII tabularum: at si intestato moritur, cui suus heres nec exstabit, agnatus proximus familiam habeto*“. *Idem: L. 195 D. de verb. signifi.*: „ut puta in lege XII. Tabul. his verbis: „agnatus proximus familiam habeto““. *Add. Pompon. in L. 162 D. de V. S. et Justinian. in §. 2. Inst. de hered. qual. et differ. et §. 1. de hered. quae ab intest.* Jam *Gajus* rem extra omnem dubitationem ponit. Legitur enim ap. eum in *Coll. leg. Mos. et Rom. XVI, 2. §. 9.* „Si nullus sit suorum heredum, tum hereditas pertinet ex eadem lege XII tabularum ad agnatos. §. 11. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex XII. tabul. hereditatem, sed his, qui tunc cum certum est aliquem intestato decessisse, proximo gradu sunt. §. 17. Si nullus agnatus sit, eadem lex XII tabularum gentiles ad hereditatem vocat. Conf. et *Comm. Inst. iisd. §§.* Atque certum est diversitatem apud autores ex eo solo descendere, quod alii ad jus antiquum, alii ad novum post abolitas gentilitias successiones respexerint.
- b) *Sed si quis ab intestato decedit.* Expungerem *To „ast“.* Intestatum decemviri appellant, aut qui nullum aut qui non jure testamentum condidit. *Ulpian fragm. XXVI*: Icti vero etiam eum, cujus ex testamento hereditas adita non est.
- c) *Cui suus heres non est.* Primi ad quos hereditas pervenit, sunt sui heredes ita appellati a conjunc-

tione, quae iis cum defuncto intercedit: hinc eorum successio non tam hereditas quam continuatio domini esse videtur, jusque sui heredis dominos eos facit quodammodo etiam vivente patre §. 2. *Inst. de hered. qual. et differ. L. 14 D. de suis et legit.* Sui autem sunt, qui in potestate defuncti vivebant tempore mortis ut filii, filiae, nepotes ex filiis masculis in potestate avi existentes et in potestatem patris non recasuri, et naturales et adoptivi liberi, uxor quae in manu erat, nurus quae in manum filii patriae potestati subiecti venerat. *Ulpian. fragm. XXII, 14. Gaj. Epitom. Inst. II, 3, 6. Gell. N. A. XVIII, 6,* quibus addendus ex *Gaji Inst. Comm. III, §. 6,* filius, qui ex prima et secunda mancipatione post mortem patris manumittitur, licet amplius in ejus potestatem recadere non potuerit: item posthumus ex *Gajo in Collat. Leg. Mos. et Rom. tit. ult.* quamvis nunquam in potestate patris fuerit: uterque juris fictione. Succedebant sui primi gradus cum his ulteriorum graduum et quidem sui primi gradus in capita, ulteriorum vero in stirpes, nulla antiquissimis temporibus constituta differentia inter liberos masculini et foemini generis *Ulpian. fragm. XXVI, 2, Gaji Inst. Comm. III. §. 8,* quod mutatum deinde est, qua lege nescitur (Voconiam plerique praeferunt) atque ea iterum sublata vel exoleta, mansisse tamen morem, ut foeminae ad hereditates legitimas, ultra consanguineas non admitterentur autor est *Paulus Rec. Sentent. IV, 8, 22.*

Juris sui heredis proprium hoc est, ut sine additione heres fiat *L. 14 D. de suis et legitim;* etiam ignorantes, furiosi, infantes etc. *Paul. rec. sent. IV, 8, 5 et 6* hereditatem ipso jure consequantur, Interim jus illud suorum non in verbis legum XII tabularum fundatum est, ex illis ut jus certum atque evidens modo elicitur (*Jac. Go-*

*thofred. in not. pag. 205*). Sed cum fundamentum hujus successionis potestati, quam decedens in successorem exercebat nitatur, facile conjici potest, cur capitis deminutionem passi et emancipati omnes hereditate exciderint. §. 9: Inst. de hered. quae ab intest.

- d) *Agnatus proximus hereditatem habeto. Familia hic pro hereditate posita est. Familiae enim ut et pecuniae nomine, possessiones quaelibet, domus, agri, monumenta, aes, pecora, servi, et quidquid in hereditatem venire potest, comprehenduntur. L. 195 D. de V. 5. Qui sint agnati et quomodo successerint, audiamus ipsum Gajum in Inst. Comm. III. §. 10. seq.* Vocantur autem agnati qui legitima cognatione juncti sunt, Legitima autem cognatio est ea, quae per virilium sexus personas contrahitur. Itaque qui eodem patre nati sunt fratres agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur, nec requiritur, an etiam matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio, et invicem illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patruales inter se: id est qui ex duobus fratribus procreati sunt, quos plerique etiam consobrinos vocant, qua ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. §. 11. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex XII tabularum hereditatem, sed his, qui tunc cum certum est aliquem ab intestato decessisse proximo gradu sunt §. 12. Nec in eo jure successio est, ideo si agnatus proximus hereditatem omiserit vel antequam adierit decesserit, sequentibus nihil ex lege competit. An hoc ultimum ex verbis legum XII tabularum descendat, vel an interpretatione inductum fuerit, non constat.

Paulo aliter rem repraesentat *Ulpian. fragm. XXVI, 1.* „Si sui heredes non sunt, ad consanguineos: id est, fratres et sorores ex eodem patre, si nec hi sunt ad reliquos agnatos proximos, id

est cognatos virilis sexus, per mares descendentes ejusdem familiae: id enim cautum in lege XII tabularum hac: „*Si intestato moritur cui suus heres nec sit, adgnatus proximus familiam habeto*“. Et certe *Raevardus varior. V, 1* a vero non alienus videtur, putans, Romanos, patrefamilias mortuo, omnes ei a latere venientes cognatos virilis sexus ejusdem familiae proprie agnatos appellasse, atque inter illos consanguineos et reliquos agnatos distinxisse: decemviros vero nomine agnatorum utrosque comprehendisse.

Certe ex *Ulpiano*, quae in Institutiones Justinianeas transiit, *Gaji* de agnatis definitio suppleri potest. Ab utroque reliquum edocemur, omne repraesentationis jus in agnatorum successione exulasse (quod et jam verba XII tabul. ostendunt) atque si plures eodem gradu aderant, successioni in capita locum fuisse. Non praetermittenda sunt haec *Ulpiani* verba ad supplendum similiter *Gajum*: „*Si plures, inquit, eodem sunt gradu adgnati, et quidam eorum hereditatem ad se pertinere noluerint, vel antequam adierint, decesserint, eorum pars ad crescit his qui adierint, Quod si nemo eorum adierit, ad insequentem gradum ex lege hereditas non transmittitur, quoniam in legitimis hereditatibus successio non est*“. Gentilibus ergo jam aditum ad hereditatem fuisse oportet.

- e) *Si nullus agnatus est ad gentiles hereditas devolvatur.* Et casus subintelligendus, ubi quidem proximus adgnatus adfuerit, sed heres non factus. Bis lex XII Tabularum gentilium mentionem facit, hoc loco, et paulo infra, dum de tutela legitima sancit. Sed nullibi curate expressum invenitur, qui apud Romanos gentilium appellatione comprehensi fuerint. Gentilium appellatione omnes eos venire, qui cum defuncto a stipite communi per

viriles personas descendunt, praeter agnatos, communis hactenus erat Jureconsultorum opinio, ab usitata apud Romanos gentis in familias et domus divisione deducta, ita ut gentis nomine (genus etiam et familia promiscue dicta) omnes illi contineantur, qui genitorem communem olim habuissent et ab eo nomen aliaque familiae jura traxissent. (Conf. *Raevardi Varior. V, 1*, et *Chladenii et Mühlenbruchii scripta de familiis et gentilitate vet. Roman.*). Processisse legem XII tabularum in successione a domo ad familiam, a familia ad gentem putant *Bynkershoek Obs. II, 1*, *Heineccius Antiq. Rom. III, 2, 7*, hac procul dubio ratione, ne bona, si cognati succederent, in aliam gentem transirent. Quare et gentiles ab illis vocantur agnati: remotiores tantum et adgnati a communi stipite, eadem ratione, qua sui sunt agnati, sed omnium proximi.

Sed liberos, nomine patroni accepto, familiam quoque ejus intrasse certum est, itidem gentiles dictos; eoque respicere videtur *Festus* voc. *gentilis* inquit: *Dicitur enim gentilis ex eodem genere ortus, et is, qui simili nomine appellatur, ut Cincius: gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur*“. Sed vix crediderim, gentiliū appellatione primo tempore alios liberos venisse, ac qui a stipite communi ejusque successoribus, suis heredibus, cum adhuc in communionem hereditatis essent, manumissi, sicque nomine gentis fundatoris accepto gentem simul intraverant. Hanc tabulam volo, quum ad antiqua rei romanae tempora respicitur:

- 1) *Sui* qui sub ejusdem patris potestate constituti erant, vel naturales vel adoptati.
- 2) *Consanguinei*. Fratres et sorores eorumque liberi, vel generaliter ex eadem domo descendentes, relatione inter eos habita.

3) *Agnati*. Reliqui ad eandem familiam pertinentes.

4) *Gentiles*.

a) *Agnati*, qui ad alias familias sub eodem stipite comprehensas pertinebant.

b) *Non agnati*, scilicet liberti, qui nomen a stipite communi adsumserant.

Vix tamen negare ausim, sequenti tempore, et qui in una vel altera familia vel domo manumissi essent, accepto communi gentis nomine, simul gentem intrasse. Quae enim generatione naturali transferebat in liberos jura paterfamilias, caeterum genti communia, et transferre potuit generatione civili in manumissum: placuit ergo, ut qui vel unius tantum familiae, immo domus tantum manumissus esset, simul totius gentis efficeretur. Sed qui evaderet simul gentis libertus, in ejus hereditatem, quod proprie erat patronijus (de quo infra) ut et a tota gente exerceri possit, jam sequebatur, quo pertinere puto locum *Ciceronis de Orat*, I, 38, de cujus genuino intellectu inter eruditos disputatur. Atque in hac quacunq̄ue liberti successione similiter, qui essent de domo et de familia, iis, qui de gente tantum, praeferrī debuisse judico. Conferri certe hic meretur cum jure Romano jus Atticum et imprimis doctissima expositio *Eduardi Plattneri* in d. *Beyträgen zur Kenntniss des Attischen Rechts*. Marb. 1820.

Superest quaestio, eaque non levis, quomodo intelligendus sit *Gajus Institut. Comment. III, §. 17*, qui ad hunc XII Tabul. locum notat: „cum totum gentilitium jus in desuetudinem abierit, supervacuum esse de gentiliū successione curiosius tractare“. Quod omissum esse eo magis dolemus, quo omnia quae de gentiliū successione sciuntur, jam solis conjeeturis nitantur, atque veritas exquiri amplius nequeat. Atque plane *Ulpianus fragm. XXV*, ignorat gentiliū suc-

cessionem, adeo ut ne verbo quidem ejus mentionem faciat, in agnatorum successione finiens. *Ciceronis* adhuc aetate gentilitias successiones in usu fuisse, patet ex ejus loco supra citato: similiter de *Caesare* refert *Sueton.* in *Julio*, eum a *Sulla uxoris dote et gentilitiis hereditatibus mulctatum esse*. Putaverat *Heineccius Antiq. Rom. III, 2, §. ult.* ex praetoris edicto ablatas esse, quo et cognatis jus succedendi datum: in *not. ms.* vero hanc suam retractavit sententiam, cum et hoc modo agnatorum successiones edicto praetoris ablatas dici queant, atque nova ista protulit: "In gentilium successione nullum ad gradus proximitatem respectum fuisse, omnium aequale, atque in capita. (Monendum puto, *Heineccium* de gentilibus agnatis tantum loqui: gentiles libertos plane ignorare). Praetorem, postquam coeperat dare cognatis bonorum possessionem, eaque etiam bonorum possessio dein ad legitimos heredes tracta fuit, qua in proximitatis gradus cum defuncto sola consideratio existit, agnatum proximorem (omnes enim sensu generali appellatos esse agnatos, qui a communi stipite per masculos descendunt) et in gentilium successione remotiori praetulisse: atque ita effectum esse, ut gentilium ab agnatorum successione diversum succedendi jus evanesceret". Bona haec quidem omnia sunt, sed non respondent illis, quae de bonorum possessione certo sciuntur. Et dedisse quidem praetorem agnatis omnibus eam petentibus bonorum possessionem scimus ex *Gajo (Inst. Comm. II. §. 27)*, et *Ulpiano (fragm. XXVIII, 7)*, sed his, qui capite minuti essent, principaliter proficere potuisse praetorium beneficium autor est *Gajus l. c. §. 34*: reliquis tantum in eo solo videri aliquam afferre utilitatem, quod is, qui ita bonorum possessionem petit, interdicto, cujus principium est *quorum bonorum* uti possit, cum

alioquin remota quoque bonorum possessione ad eos hereditas pertinuerit *jure civili*. Atque exemplum proferri nequit, quod praetor insuper habita agnatorum habilium successione cognatorum jura praetulerit. Ipsam vero legitimam successionem, si non poterat detrudere, admittere tantum cognatos cum agnatis, vix defendi potest, ab eo ordinem in gentilium [successione posthabitu]m fuisse. Sed alio modo *Heineccii* sententia defendi posse mihi videtur.

Non definierant leges XII tabularum ordinem succedendi in gentilium successione; generaliter tantum vocaverant post agnatos gentiles. Quisque fuerit succedendi ordo in gentilitate, moribus eum tantum formatum fuisse oportet. Facillime itaque intercedere potuit praetor, et, cum gentiles similiter vel ad agnatos pertineant in sensu letiori, vel omni successionis jure destituerentur, (quod in gentilibus non agnatis pro certo asseverare audeo), lex vero XII tabularum in agnatis proprie sic dictis ei adplicasset hereditatem, qui proximus esset defuncto tempore mortis ejus, hanc gradus proximitatem etiam ad gentiles transferre. In quo procedendi modo, ut gentilium successio ilico interiret, necesse erat: si enim ubique agnatus proximus ad hereditatem, vocabatur, nulla prorsus inter agnatorum proprie sic dictorum et gentilium successionem differentia obtinere potuit. Ne vero, quum proximior gradu hereditatem vel capere non poterat vel non volebat, hoc remotiori nocuum esset, jam edicto successorio prospexerat praetor.

## *Lex II.*

### *De libertorum bonis. a)*

Si libertus intestato moritur, cui suus heres nec escit b), ast patronus patroni-

que liberi escint c), ex ea familia in eam familiam d) proximo pecunia adiciator.

- a) Probatur haec lex : 1) ex *Ulpiano fragm. XXIX pr.* „Civis Romani liberti hereditatem lex XII tab. patrono defert, si intestato sine suo herede decesserit“. 2) ex *Justinian. pr. Inst. de succ. libert.* Olim licebat liberti patronum suum impune testamento praeterire. Nam ita demum *lex XII tabular. ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, herede suo nullo relicto*“. Justiniani verba sunt ipsius *Gaji Instit. Comment. III, §. 40*, qui non plura de successione patroni in bona liberti habet. Addit tamen §. 43: „In bonis libertinarum nullam injuriam jure antiquo patiebantur patroni, cum enim hae in patronorum legitima tutela essent, non aliter scilicet testamentum facere poterant, quam patrono autore.“ Quod certe ad tempus hujus legislationis trahi non potest, 3) *Theophilo I, 17*: Haec de ingenuis : ad libertos autem deveniens (lex XII Tab.) ait : Si libertus vel liberta sine liberis liberis et intestati decesserint, hereditatem eorum patroni aut patronorum liberi accipient“. Non ita, ut exhibet *Theophilus*; in XII tabulis scriptum esse, contendit *Hugo l. c. p. 182*, cum non omnes liberos, sed suos tantum patrono praelatos esse constet, et libertae plane suos habere nequeant. 4) Ex *Ulpiano L. 195 D. de V. 5.* „ad personas refertur familiae significatio. Ita cum de patrono et liberti loquitur lex : ex ea familia in eam familiam, et hic de singularibus personis legem esse constat“. Attamen vere nesciri qua lege, monet *Hugo l. c.*, an lege XII tabul, vel alia.

- b) Ad hereditatem liberti, qui ab intestato decessit sine suo herede, vocantur patronus ejusque liberi. Haec ex lege clara atque perspecta sunt. Libertus an nomen patroni adsumserit ejusque familiam intraverit, vel non, Romani non videntur distinxisse, hoc successionis jus ex generatione vel quasi, seu civili deducentes. Reciprocam vero hanc successionem non fuisse jam supra contendimus hac ratione, ut ne jure gentilitatis extraordinariae quidem libertus, vel qui ab eo descendunt, ad patroni ab eoque descendentium hereditates pervenire potuerint: id quod ulteriori certe non indiget probatione. Sed an liberorum appellatione in duodecim omnes a patrono descendentes, vel liberi tantum prioris gradus contineantur, quaeritur, simul, an eorum, quibus lex dederit, succedendi jus, libertorum hereditates egrediatur. De filii saltim liberti hereditate quaestionem fuisse autor est *Cicero*: jure an injuria, non constat. — Quod patrono ejusque liberis jus succedendi datum est, ex lege quoque patronae competisse, atque in libertae bonis omne jus sui heredis exulasse (quia femina suum heredem habere nequit), ita ut statim successio ex jure patronatus locum habuerit: autor est *Gajus l. c. §. 49 et 51*.
- c) An omnes patroni liberi, etiam hi foemini sexus? nondum liquet. *Gajus Inst. Comm. III, §. 55 seq.* hanc quaestionem tractasse videtur, sed mancus est. Sententiam quidem ejus ita exhibuit *Goeschenius*: „*Illud quidem jus, quod ex lege XII tabularum patronis datum est, pertinet etiam ad foemini sexus patronorum liberos etc.*“ Sed plura abesse videntur, quo minus de liberis foemini sexus idem affirmemus, quod de masculini sexus liberis affirmare licet.
- d) Monet *Heinecc.* in *not. ms.*: verba posteriora legis „*ex ea familia in eam familiam*“ ex *Go-*

*thofredi* restitutione plane non cohaerere prioribus, atque si velis ea retinere, ita scribi debere:

. Si libertus intestato moritur cui suus heres non escit, patrono patronive liberis bona ejus addicuntur: si et hi non escint, proximo ex patroni familia, sicque ex ea familia in eam familiam transeant.

Ut verba: „*ex ea familia in eam familiam*“ intelligenda sint de *transitu* bonorum e familia liberti in familiam patroni *plenario*, qui successione patroni ejusque liberorum primi gradus nondum effectus sit, cum hi manumissionis jure proprie successerint.

Placere posset haec textus mutatio, qua saltem legis sententia declaratur, si una statuitur eademque omnium libertorum conditio, qua nomine patroni assumpto in ejus familiam transibant. Sed et tunc lex de liberti descendantium hereditatibus statuere debuisset, in solius liberti non acquiescere. Quare cum *Hugone* puto, verba haec *Ulpiani*: „*ex ea familia in eam familiam*“ plane in XII Tabulis non fuisse, sed ex alia et quid in longe seriori lege desumpta esse. Nisi me omnia fallunt, hic rei status est.

In XII tabulis patrono ejusque liberis primi gradus datum erat jus succedendi in bona liberti, qui ab intestato et sine suo herede decesserat, ex jure manumissionis et quasi generationis civilis, sine ulla distinctione, an libertus assumpto patroni nomine in ejus familiam transierat vel non: (quaeri adhuc posset, an tempore XII tabularum haec nominis assumptio et in familiam transitio cognita fuerit, quod vix crederem). Dein cum moribus receptum fieret, ut liberti assumpto patroni nomine ejus familiam, gentem immo intrarent, quaestio orta est de jure succedendi his, qui a liberti descendebant, jure domus familiae et gentis, lexque de hac successione ab ea legum XII Tabularum

plane diversa lata est, cujus tenor ignoratur. Ex ista lege *Ulpiani* verba mutuata putarem, ad eamque respicere *Ciceronem* loco supra citato, quo de successione in bona filii liberti *jure gentis* disputatur. Ex jure enim XII Tabular. de tali successione quaestio omnino non poterat moveri: agi nequidem de transitu bonorum a familia in familiam. In ista noviori legislatione respectum habitum esse ad proximiorum admodum quoque dubito: nequidem diverso jure domus familiae et gentis successionem fuisse statuerem, sed gente tantum succedi potuisse in eam hereditatem, quae in libertina familia aperta effecta fuerit. Videant luhenter alii meliora.

Caeterum verbum „*adicitor*“ vel „*adicuntor*“ a *Gothofredo* in restitutione legis electum et *Heineccius* probat, quasi de successione proprie sic dicta sermo non sit, sed de additione tantum patrono ejusque liberis petentibus danda, ne cederet hereditas liberti vacans eam occupantibus. tunc enim temporis adhuc nesciebatur jus aerarii in hereditates vacantes. Et certe probari possunt haec, modo omittantur verba „*ex ea familia in eam familiam*“. Quae enim sequenti tempore inducta fuit successio gentilitia, vere successio fuit.

Caeterum ex hoc successionis jure, interpretatione dein deductam esse patronorum eorumque liberorum tutelam legitimam in libertos libertasque, non in ipsis legibus fuisse, autores sunt *Ulpian. fragm. XI, §. 3* et *Justin. pr. Inst. de legib. patr. tutela.*

#### *Lex IV.*

##### *De ercto cito. a)*

Nomina inter heredes pro portionibus hereditariis ercta cita sunt b).

Ast caeterorum familiae rerum ercto non cito si volent heredes erctum citum faciunto c): praetor ad erctum ciendum arbitros tris dato d).

a) Legis argumentum desumptum est „ex Paulo L. 25. §. 13 D. fam. erc.“ licet haec obligatio dividatur per legem XII Tab., tamen etc. 2) Antonin. Imp. in L. 1. C. de exc.“ Debitores hereditarii unicuique heredum pro portione hereditaria antiqua lege obligati sunt“. 3) ex Gordiano Imp. L. 6 C. famil. erciss. „Eaque in nominibus sunt, non recipiunt divisionem cum ipso jure in portiones hereditarias ex lege XII Tabul. divisa sint“. 4) Ex Valer. et Gallien. in L. 1 C. si unus ex plur. hered. Manifesti et indubitati juris est, defuncto creditore multis relictis heredibus, actionem quidem personalem inter eos ex lege XII Tabul. dividi: pignus vero in solidum unicuique teneri“, et L. 26, C de pact. „pacto successorum debitoris ex lege XII Tabular. aes alienum hereditarium pro portionibus quaesitis singulis ipso jure divisum in solidum unum obligare creditori non potest“. 5) Ex Gajo L. 1, D. famil. ercisc. Haec actio (sc. famil. ercisc.) proficiscitur ex lege XII Tabul. Namque, coheredibus volentibus a communione discedere, necessarium videbatur, aliquam actionem constitui, qua inter eos actiones hereditariae distribuerentur. 6) Ulpiano L. 2, D. famil. ercisc.“ per familiae erciscundae actionem dividitur hereditas, sive ex testamento sive ab intestato sive ex lege XII tabul. etc. 7) Festo voc. erctum. Erctum citum fit inter consortes, ut in libris legum Romanor. legitur.

b) Ercta cita ie. ipso jure divisa. Erctum a coercedo dictum unde et erciscundae et ercisci. Citum autem est a ciendo. Fest. v. erctum.

Vid. et, *Scaliger. in emendat. ad Fest. h. v. et Gravin. Orig. jur. civil. ad h. 1. Oper. p. 177.*

- c) *Reliqua vero hereditatis non ipso jure divisa, si voluerint heredes, divisa faciant.*
- d) *Cum velint, praetor ad divisionem faciendum tres arbitros dato. tris pro tres.* Non licuisse videtur ex lege decemvirali pluribus heredibus privata autoritate inter se hereditatem dividere, quod dein licuit.

### *Lex V.*

#### *De legitima impuberis tutela. a)*

Si paterfamilias intestato b) moritur, eique impubes c) suus exstabit heres, agnatus proximus d) tutelam nancitor e),

- a) Probatur haec lex : 1) ex *Ulpian. L. 1, D. de legit. tutot.* Legitimae tutelae ex lege XII tabul. agnatis delatae sunt etc. 2) *Justin. pr. Inst. de legit. agnat. tutel.* Quibus testamento tutor non datus est, his ex lege XII Tab. agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi“. His jam addendus est *Gajus Instit. Comm. I. §. 155.* Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII tab. agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi“, totidem verbis a Justiniano repetitus. Atque hac lege simnl de gentiliun tutela provisum fuisse putat *Heineccius in not. ms.*, cum ubique onus legitimae tutelae successionem sequatur (citari tantum legem a Jureconsultis posterioribus ad agnatorum tutelam restrictam ideo, quod gentiliun successio abolita fuerit) praetori vero eligendi jus fuisse ex gentilibus tutorem, qui ei optimus videretur, eamque antiquissimam esse tutelam dativam :

tutorem Atilianum potissimum pertinere ad impuberes emancipatos, et quibus nequidem gentiles essent vel pro quibus quis ex agnatorum et gentilium numero tutelam suscipere noluerit. — Quae a vero minime abesse, probatur ex his, quae ad legem sequentem dicemus.

- b) §. 2 *Inst. de leg. agn. tut.*, „quod autem lex XII tabular. ab intestato vocat ad tutelam agnatos, non habet hanc significationem, si omnino non fecerit testamentum is, qui poterat tutores dare, sed si quantum ad tutelam pertinet, intestatus decessit etc.
- c) *Pubes* — qui iam generare potest, vocatur; cui contrarium est *impubes*. *Fest. v. pubes*. Puberes a pube i. e. a pudendis corporis nuncupati, quod haec loca tunc primum lanuginem ducunt. *Isidor. Orig. II, 2*. Atque cum anni pubertatis primum sequenti tempore definirentur, hanc solam puberis definitionem in mente habuisse decemviros puto, atque non cum *Functio* intelligendum minorem impotentem, ut se suaque tueri nequeat ex defectu sc. annorum et iudicii.
- d) Ita ut si plures fuerint eodem gradu agnati, pari modo admitterentur ad tutelam, seu potius ad eam suscipiendam obligati essent. *L. 9, D. de legit. tutor*. Qua in re summam decemvirorum providentiam laudat *Ulpian. L. 1 pr. D. de legit. tutor*. ut qui sperarent successionem iidem tuerentur etiam bona, ne dilapidarentur. Et agnatos ex legibus XII tabular. tam masculorum quam foeminarum impuberum tutores fuisse autor est *Gajus Inst. comm. I, §. 157*, et postea demum lege *Claudia* hanc agnatorum tutelam respectu foeminarum abolitam esse, cum quo jungendus *Ulpian. fragm. XI, 8*. — Caeterum haec legitima tutela tam arcte cum succedendi jure conjuncta videtur ut remotiori agnato, immo ei qui aequo proximo gradu esset, vel tota vel ex parte cedi non potuerit, et cessa, simul jus succedendi cessum intelli-

gatur. — Quod jam suspicatus est *Heinecc.* in *not. ms.*, appendicem hujus legis fuisse, quo perpetua foeminarum tutela vel introducta vel agnita fuerit, confirmat *Gajus Inst. Comm. I, §. 137* verbis: „*Sed olim quidem, quantum ad legem XII Tabul. attinet, etiam feminae agnatos habebant tutores.* Ideo totam *Gothofredi* restitutionem non reprobarem cum *Hugone l. c. p. 112*, appendicem potius darem de foeminarum tutela legitima. Vid. infra in fine Tabul.

### *Lex VI.*

#### *De furiosi et prodigi curatoribus. a)*

Si furiosus aut prodigus b) existat c) *ast* ei custos nec escit d) agnatorum gentiliumve in eo pecuniave ejus potestas esto. d)

- a) Fundus hujus legis sunt: 1) *Cornific. rhet. ad Hereñ. I, 13*. Si furiosus existat, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus potestas esto“. Add. *Cicer. Tuscul. quaest. III, 5*. 2) *Festus* voc. *nec*“ ut et in duodecim est „*ast* ei custos escit“. Legit *Turnebus* „*carcer* custos *nec* escit“ merito reprehensus a *Scaligero*. 3) *Ulpian. fragm. XII, 2*. Lex XII Tabul. furiosum, itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione jubet esse agnatorum. 4) *Justinian. §. 3. J. de curator.* Furiosi et prodigi licet majores XXV annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum“. Add. *L. 13, D. de curat. furios.* Et certe dubitari non potest cum *Hotomanno Observ. VII, 6*, an haec cura quoque ex ipsis

XII Tabul. verbis fuerit inducta. Caeterum et istam *Gothofredi* restitutionem improbat *Hugo l. c. p. 122*, cum ex ea plane non appareat distinctio ab *Ulpian. fr. XII, 2* in prodigo facta.

- b) Recte *Gothofredus* de utroque, furioso et prodigo, unam tantum legem constituit, cum de utroque junctim etiam Icti plerumque agant. Qui a decemviris appelletur *furiosus*, optime exposuit *Cicero l. c.* „Insaniam quae juncta stultitiae patet latius, a furore disjungimus. — Quem nos furorem, *μελανχολίαν* graeci vocant. — — Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant XII Tabulae. Itaque non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit. — — Stultitiam (aliis insaniam) enim censuerunt inconstantiam sanitate vacantem — — furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia saevitatem“. *Prodigum Ulpian. L. 1, D. de curat furios.* eum appellat, qui neque tempus neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando et dilapidando profudit“; *Cicero vero de Offic. II, 16* hunc: „qui epulis et viscerationibus, et gladiatorum muneribus ludorum venationumque apparatu pecunias profudit in eas res, quae memoriam aut brevem aut nullam sunt relicturae omnes“.
- c) Alii ut *Turnebus Advers. XIII, 13, Gifan. Ind. Lucr. voc. existere* et *Davis. ad lib. III, Tusc. quaest. c. 5* praeferunt „incipit“ propter illa *Ciceronis*: „si furiosus esse incipit“.
- d) Loqui legem de casu, quo pater, qui huc usque furiosi vel prodigi curam habuit, mortuus est, et testamento tutorem dare neglexit, vulgo putatur: Male omnino, atque debet intelligi lex, non de filiofamilias solum pubere, cujus pater mortuus est sine tutelae ordinatione, sed etiam de patrefamilias furioso vel prodigo facto.
- d) Tutelam istam plane simile jus dedisse tutoribus,

ut tutela in impuberes, dubium non est, atque vix pntem, decemviros inter furiosum ei prodigum distinxisse. Saltim tutorem furiosi ejus rem ex XII tabulis alienare potuisse autor est *Gajus Inst. Comm. II, §. 64.* Sed mox distinctio inducta est interpretatione; prodigum enim ratione administrationis tantum furioso similem haberi posse, Jureconsulti inveniebant.

Movet in hac lege gentilium quoque habita ratio, quam in lege, quae praecedit, decemviri plane aspernati sunt. Non obstat, quod unicus tantum *Cornificius* rei testis sit, caeteri de ea sileant. Gentilium enim ad tutelam vocationem non defuisse in lege praecedenti supra ad L. 1 not. a demonstratum dedimus. Quaestio superest eaque sola, an simul de bonorum interdictione hac lege cautum fuerit. Mancam eam ad nostram aetatem pervenisse *Heineccius* putat in *not. ms.* cum *Ulpianus* expresse dicat: prodigo interdici bonorum administrationem lege XII Tabularum: absque tali interdictione tutelam in eum vix etiam constitui potuisse. Sed putem, hanc interdictionem tacite inesse dispositioni de ejus tutela, eamque factam esse vel patris testamento, quo pertinere videtur *L. 1 D. de curat. furios.*; vel magistratus elocutione, facta ante causae cognitione.

---

Hanc tabulam omnino mancarn his adhuc sanctionibus supplerem:

*Foeminae puberes sub perpetua agnatorum tutela sunt, virginibus vestalibus exceptis. \*)*

*Tutori furiosi rei ejus alienandae jus esto. †)*

\*) *Gaj. Inst. Comm. I, §. 137 et §. 145.*

†) *Id. eod. §. 64.*

---

## Tabula sexta.

## De Jure Dominii et possessioniis a).

*Lex I.**De jure nexi et mancipii. a)*

Quum nexum faciet mancipiumque c), uti lingua nuncupasset, ita jus esto d). Si inficias ierit duplione damnator e).

- a) Monet *Heinecc.* in *not. ms.* tolerari tantum posse inscriptionem *Gothofredianam*, si verbum „dominii“ sensu latissimo sumatur, ita ut omne jus in re singulari ex noviori doctrina complectatur. Nobis inscriptio saltem incompleta videtur. De obligatione enim quae verbis contrahitur decemviros simul loquutos esse liquet.
- b) Legis caput primum exstat apud *Festum* voc. *nuncupata*: „Cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupasset, ita jus esto“. Eaque verba ex XII tabulis desumpta fuisse, nos *Cicero* docet *de Orator. I, 57.* Lapidem me hercle flere coegisses, ut totum illud, uti lingua nuncupasset, non in XII tabulis, sed in magistri carmine scriptum videretur. Conf. ej. *Orat. pr. Caecinna c. 23.* — Caput legis alterum est apud *Ciceronem de Offic. 3, 16.* De jure praediorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam cum ex XII tabulis satis esset cautum, ea praestari, quae essent lingua nuncupata,

quae qui inficiatus esset, dupli poenam subiret, a jureconsultis etiam reticentiae poena est constituta“.

- c) *Nexum mancipiumque facere*, quid sit, iam non liquet. *Nexum facere* plurimi interpretantur, solenni ritu per aes et libram se obligare, statuere, polliceri, et facere contractus, autore *Aelio* apud *Festum* n. v. „*Quodcumque per aes et librum geritur, idque necti dicitur. Quo in genere sunt haec, testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum aes apud antiquos dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur*“. *Mancipium facere* contra fuisse ajunt in re mancipi in alium translatione, cumque rerum, quae mancipi sunt dominium tribus tantum modis in alium transferri potuerit, mancipatione scilicet, in jure cessione, et usucapione, in duobus prioribus modis Te „*mancipium facere*“ constare. Optime rem ita *Varro de ling. lat. 6* exposuisse videtur: „*Nexum Manilius scribit, omne quod per libram et aes geritur, in quo sunt mancipi. Mucius Scaevola, quae per aes et librum fiunt, ut obligentur, praeter quam si mancipio dentur: Hoc verius esse ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur. Nam idem quod obligatur per libram neque suum fit, inde nexum dicitur*“, cui jungendus est *Boetius Lib. III, Comment. in Topic. Ciceron.*, qui „*mancipi ait, res veteres appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret soleunitatem. Nexus vero est quaedam juris solennitas, quae fiebat eo modo, quo in Institutionibus Gajus exponit. Eiusdem autem Gaji libro 1. Institut. de nexu faciendo haec verba sunt: Est autem mancipatio, ut supra quoque indicavimus, imaginaria quaedam venditio; quod ipsum jus proprium Romanorum est civium: eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus Romanis*

civibus puberibus, et praeterea alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripendens. Is qui mancipio accipit, aes tenens ita dicit: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc aere aeneaque libra. Deinde aere percutit libram indeque aes dat ei a quo mancipio accipit quasi pretii loco,*“ de quo *Gaji* loco cum olim, quidem dubitatum esset, anne *Boethio* potius debeantur (vid. *Bynkershoekii* tr. de rebus Mancipi p. 107) jam post editos *Gaji* instit. Comm. amplius dubium moveri nequit, cum ibi *I. §. 119* iusdem fere verbis legitur. Et pergit *Gajus* l. c. §. 120: „*Eo modo et serviles et liberae personae mancipantur, animalia quoque, quae mancipi sunt, quo in numero habentur boues, equi, muli, asini; item praedia tam urbana quam rustica, quae et ipsa mancipi sunt, qualia sunt Italica, eodem modo solent mancipari §. 121. In eo solo praediorum mancipatio differt, quod personae serviles et liberae, item animalia, quae mancipi sunt, nisi in praesentia sint, mancipari non possunt: adeo quidem, ut eum qui mancipio accipit, apprehendere id ipsum, quod ei mancipio datur, necesse sit: unde etiam mancipatio dicitur, quia manu res capitur. Praedia vero in absentia solent mancipari. §. 122. Ideo autem aes in ea re adhibetur, quia aeris olim nummis utebantur — — sicut ex lege XII tabularum intellegere possumus, eorumque nummorum vis et potestas non in numero erat, sed in pondere etc.*“ Add, *Ulpian. XIX, 3.* Ex quibus variis locis haec fere fluere videntur: 1) *nexum facere* significare transferre potestatem et jura in alium quae alicui in personam liberam competebant, ut, in patre filium emancipante per venditionem, nec minus jura in re nostra, retenta ejus proprietate

eg. usumfructum et alias servitutes: *mancipium facere* vero usitatum fuisse de ipsa rei proprietate in alium transferenda. 2) Utrumque et nexum et *mancipium* ex jure XII tabularum fieri tantum potuisse mancipatione seu quod idem est, venditione solenni: qui enim a *Gajo* refertur alius adhuc modus rem *mancipi* in aliquem transferendi, scilicet *cessio in jure*, tempore XII tabularum nondum receptus videtur. 3) *Nexum*, aequè ut *mancipium* fieri potuisse et de alia re: de re *mancipi* vero debuisse. Sed meo saltim iudicio longe aliter se habet.

Et quidem verba *nexum facere* de omni verborum obligatione intelligo extra casum mancipationis; verba *mancipium facere* vero de ea in hoc casu: inesse enim et mancipatione verborum obligationem in aprico est: mancipatio tamen magis pertinuit ad obligationem finiendam, quam ad eam constituendam, et necessaria erat in rebus *mancipi* in alium transferendis. Quae vero fuerint res *mancipi* eruditi varie sentiunt. Confer praeter alios *Fr. Car. Conradi* Lib. sing. de *veris mancipi et nec mancipi rerum differentiis* c. 7. *Ger. Meermannii* Diss. exhib. nonnullas de *rebus mancipi et nec mancipi earumq. mancipat. conjecturas* §. 161—200. *Th. Max. Zachariae* Diss. II. *Conjecturae de rebus mancipi et nec mancipi* Sect. I, p. 7—15 et Sect. II, p. 29—32. Nobis, quae jam sequuntur rectissima videntur.

Et quidem 1) ex rebus *incorporalibus* huc pertinuisse indubium est: a) jus in patria potestate contentum ex *Gaji Inst.* I, §. 116. b) Servitutes praediorum rusticorum auctore eod. *Gajo* l. c. II. §. 17, quo loco tamen verbum „*fere*“ non negligendum, ex quo suspicio oritur, *Gajum* non curate causam egisse. 2) ex rebus *corporalibus*. a) servi, b) boves, equi, asini, muli,

postquam collo dorsove domiti atque ad laborem vel onera ferenda adsueti fuerint (Jureconsultorum enim acutias apud *Gajum l. c. 15 seq.* hic plane negligendas puto). c) praedia rustica — non etiam urbana: haec enim primum sequenti tempore rebus mancipi accessisse puto. Denique d) hereditatem, quamque aliam juris universitatem ad res mancipi tempore XII tabularum pertinuisse putarem.

Verborum vero obligatio in quibus casibus vetustissimo jure adhiberi debuerit extra mancipationem, definiri certe non poterit. Hoc saltem scimus, in intercessione pro alio eam necessariam fuisse. Sed et in desponsatione uxorum aliisque negotiis arduis eam adhiberi debuisse, optimo jure defendi potest. Conf. *Chr. Frid. Mühlenthal* Comm. hist. jurid. de vera origine, genuina vi ac indole stipulationis. *Manh. 1805. 4:* perantiquam eam esse *Gajus* autor est *Comment. III, §. 92 seq.* qui duplicem verborum obligationem statuit juris gentium et juris civilis. Non ad posteriorem solam, ad priorem quoque in hac lege respexisse decemviri videntur.

Cæterum nexum mancipiumque facere et in negotiis in quibus verborum obligatio non desideratur, et in re nec mancipi permissum fuit. Quare legem ad utrumque casum pertinere puto, in quo nexum mancipiumque facere necesse erat, et in quo hoc non desiderabatur.

- d) Legi haec plane indigna viderentur, si ea cum *Gothofredo* „uti nominarit, locutus, pactusque erit, ita jus esto“ exhibere vellemus, vel cum *Funcchio* „Instar juris esto, quod quisque dixerit: ut ea quae nuncupata et promissa fuerunt, sine tergiversatione aut interposita calumnia praestare debeat“. Sed distinctum voluerunt decemviri inter casus, in quibus nexum mancipiumque factum erat, et eos, quibus simpliciter tantum

aliquid promissum vel res in aliquem, naturali modo seu modo juris gentium translata erat: in his et ad mentem partium, in illis tantum ad verba respiciendum putarunt. Orta est hac ratione discrimen inter negotia *bonae fidei* et *stricti juris*.

- e) Dupli poena hac lege non tam inficianti, quam ei quoque minata esse videtur, qui nexu mancipioque, quod fecerat, dein stare nolebat. Quid enim inficias ire, cum testes adessent, qui negantem statim convincere potuissent.

## *Lex II.*

### *De statuliberi mancipio. a)*

Statu liber b) emptori dando liber

esto. c)

- a) Probant hanc legem *Ulpian. fragm. II, 4*. Sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi dederit, *et si ab herede abalienatus sit emptori dando pecuniam, ad libertatem perveniat*: idque lex XII Tabul. jubet. *Modestinus L. 25 D. de statu liberis*. Statu liberos *venundari posse* leges XII Tab, putaverunt. *Pomponius L. 29 §. 1 D. de statu liber*. Paterfamilias in testamento scripserat, *si Andronicus servus meus, heredi meo dederit decem, liber esto.* — verissimum est, quod et *Aristo Celso* rescripsit, posse dari pecuniam heredi ab intestato, secundum quem sententia dicta est: quoniam lex XII tabul. emtionis verbo omnem alienationem complexa videretur, non interesset, quo genere quisque dominus ejus fieret. Et ideo hunc quoque ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est, et liberum futurum eum, qui ei dedisset pecuniam. Putat *Heineccius in not. ms. cum Ful-*

*vio Ursino et Balduino adversus Gothofredum* singularem in XII tabulis de statu liberi vendendi licentia exstitisse sanctionem, atque hanc legem ita concipiendam: *Statuliberum vendendi jus esto, ast ille emptori dando libertatem habeto*, cui sententiae certe *Modestinus* et *Pomponius* adstipulari videntur. Sed vendendi licentia jam in verbis legis a *Gothofredo* editis continetur, atque ex *Pomponio* similiter colligi posset; venditionem statu liberi solam permisisse decemviros, quaeque pro lege ipsa nobis exhibet *Gothofredus* interpretationi originem debere. Atque certe nulla opus erat permissione de statuliberi venditione cum autore *Gajo Inst. comment. II, §. 200.* interea *Servus heredis* esset, de quo ut de reliquis suis servis heres disponere poterat, modo spem libertatis ei non adimeret. Sed necesse erat et adigere emptorem, ut ei libertatem dato pretio praescripto praestaret, cum hic ex voluntate defuncti non teneatur.

- b) *Statu liber est, qui testamento certa conditione proposita, jubetur esse liber, et si per heredem est, quo minus statu liber praestare possit, quod praestare debet: nihilominus liber esse videtur.* *Festus* h. v. Clarius adhuc *Paulus L. 1 L. de statu lib.* eum definit, qui scilicet statutam et destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet. Sed ad istam latiore statu liberi definitionem lex vix pertinere videtur. Loquitur enim de eo solo casu, quo quis testamento manumissus est, ut heredi aliquid det.
- d) *Si dederit emptori, quod heredi dare jussus erat, libertatem habeto.* Puto interpretatione dein legem ad omnes et quoscunque statu liberos extensam fuisse, salvo jure emptoris evictionem adversus heredem persequendi, qui servum ei vendiderat, non addita mentione quod statuliber sit.

## Lex III.

*De rei venditae dominio. a)*

Res vendita transque data b)  
emptori non acquiritor c) donicum sa-  
tisfactum escit d).

- a) Legis tententiam exhibet *Justinian. §. 4. Inst. de rer. divis.* „venditae vero res et traditae non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo satisfecerit (veluti expromissore aut pignore dando), quod quamquam cavetur ex lege XII tabularum, tamen dicitur ex jure gentium i. e. jure naturali id effici“. Verbum „*transque dato*“ est ex *Festo* voc. *sub vos placo*, sed omnis omnino probatio deficit, illud ex hac lege decemvirali desumptum esse.
- b) *Res vendita et tradita. Transque data pro tradita.* Ad omnem quamcunque venditionem legis verba spectare indubium est, tam publicam quam privatam. Putat *Heinecc.* in *not. ms.* simul ad *permutationem* et *locationem*, cum tempore XII Tabularum haec negotia nondum curate distincta fuerint ab emtione, atque uno vocabulo venditionis, scilicet idem exprimens quod alienatio, contineantur. Sed longe alia ab antiquissimo tempore fuit ratio permutationis, atque vix credi potest, decemviros simul de locatione sancire voluisse, quamvis in jure dicatur, inter emtione et venditionem et locationem eonductionemque familiaritatem aliquam intercedere.
- c) Emptorem sola venditione et traditione dominium in re vendita acquirere non posse volunt decemviri. An ex jure Attico ista sanctio descendat, ut volunt nonnulli, non constat.

- d) *Donicum* antiqui pro *donec*. *Plautus Aulul. A. 1. S. 1, v. 9.*

— — *Si respexeris, donicum ego te jussero.* et verba „*satisfactum escit*“ ex mente decemvirorum non pertinere ad securitatis dationem, sed ad solam pretii solutionem recte monuit *Fabrot, ad Theophil.* et sequenti primum tempore ad cautionem ab emtore datam extensa esse. Casum, quo venditor emtori credidit, jam ipsos decemviros subintellexisse putat *Heinecc. in not. ms.*, ita ut interpretatione opus non fuerit.

#### *Lex IV.*

#### *De Usus auctoritate a)*

Usus auctoritas b) fundi biennium, caeterarum rerum annus esto b).

- a) Fundus legis sunt: *Cicer. topic 4.* Quod in re — — —, valeat in hac, quae par est: ut quoniam *usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium.* At in lege aedes non appellantur, et sunt *caeterarum rerum omnium, quarum annuus est usus etc.* 2) *Idem pr. Caecinn. 19: Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium: ut utimur eodem jure in aedibus, quae lege non appellantur.* 3) *Justinian. pr. Inst. de usucap.* Jure civili constitutum fuerat, *ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, dum crederet, eum dominum esse, rem emerit, is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis biennio tantum in Italico solo usucaperet: ne rerum dominia in incerto essent.* 4) *Idem L. un. C. de usucap. transform.* Antiqui et in

rebus mobilibus vel se moventibus, quae fuerant alienatae nexu vel quocunque modo, bona fide tamen detentae, usucapionem extendebant, non tantum in Italico solo, sed in omni orbe terrarum, et hanc annali tempore concludebant. Quibus jam 5) addendus est *Gaj. Inst. Comm. II, §. 42*: „Mobilium quidem rerum anno completur usucapio, fundi vero et aedium biennio, et ita lege XII tabul. cautum est“. Verbum „aedium“ non fuisse in XII tabulis *Boethius* ad *Cicer. loc. ex topic.* jam notavit, et jam ex ipso *Cicerone* perspicitur. Vapulatur itaque *Gajus legibus XII tabular.* hic aliquid affingens, quod in iis non erat. Sed his omnibus nil fidei tribuendum, quando de legis genuino sensu agitur.

- b) Alii aliter hanc legem concipiunt eg. *Contius Disput. I, 11*, *Hotomannus Obs. IV, 2*, et ad *Cicer. pro Caecin. 19. Jos. Nerius Anal. I, 24*, sed tutissimum putat *Ev. Otto* a verbis *Ciceronis* non recedere. —

*Usus auctoritas* praeeunte *Cicerone* in *Topicis* est *jus legitimi dominii quod usus praestat.* Eoque pertinent ea *Horatii II, ep. 9.*

*Si proprium est, quod quis libra mercatur et aere*

*Quaedam, si credis consultis mancipat usus.*

Et quidem haec *usus auctoritas* seu *antiquissima usucapio* longe differt ab ea usucapione, quae sequenti tempore admixtis praetoriae praescriptionis requisitis invaluit, cum praetorum tum prudentum interpretatione, ut probatum dedi in libro: *Ueber die Verjährung Th. I. §. 20 seq.* Hujus vero antiquissimae usucapionis requisita fuere: 1) ut quis re, cujus legitimum dominium non habebat, tamquam legitimus dominus utatur. 2) ut publice hoc fiat. 3) res usucapione a lege non exempta sit, quod factum esse mox videbimus.

Non itaque sufficiebat possessio animo dominii, sed contra non requirebantur bona fides ab initio, omniaque ea, quae praetor in sua longi temporis praescriptione postulabat; hic exulabant. Interruptum caeterum usum decemviri voluisse, patet ex illis, quae infra ad usucapionem uxoris dicentur.

- e) Usucapi posse, jubet lex, *fundos biennio, caeteras res anno*. Licet *fundi* appellatione in *sensu latiori*, nonsolum contineantur omnis ager, praedium, villa, et quae ad istam pertinent; verum etiam omne aedificium et quidquid tenetur solo *L. 115, D. de verb. signif* plane tamen nolim in vexilla eorum jurare, qui verbo „*fundi*“ in lege decemvirali omne, quod solo tenetur comprehensum putant. Antiquis enim Romanis multo pretiosiores fundi visi sunt aedibus, ideoque etiam eorum usucapioni longius tempus praescriptum est. Interpretatione demum, quae jam coepit *Ciceronis* tempore eo deventum est, ut verbo *fundi* etiam aedes comprehensae sint. Et neque *Gaji* neque *Justiniani* in hac re autoritas quidquam valere potest, utriusque enim aevo jus iam ita confusum erat, ut vix antiqua a novis secerni potuerint. Uterque saepe XII tabulis tribuit, quae illis vere non inerant sed interpretatione tantum ex his deducta.

Verbo „*caeterarum rerum*“ omnes reliquae res tam immobiles quam mobiles continentur. Ergo etiam aedes. Sed quaeritur, an res incorporales quoque? Negatur plerumque usucapio rerum incorporalium? defenditur contra earum praescriptio dein a praetore inventa. Receptam quoque sententiam sequuntus sum in libro meo „*Ueber die Verjährung*“, sed lubenter errorem commissum retracto. Primum verba XII Tabul. „*caeterarum rerum*“ generalia sunt, ita ut tam res corporales quam incorporales sub illis comprehendantur. Secundum, ut infra dabi-

mus probatum, potestas in uxorem usu adquiri poterat: est vero potestas res incorporalis. Dein et tertium lege Scribonia usucapionem servitutum sequenti tempore interdictam esse edocemur, quod fieri non potuisse in aprico est, nisi lege decemvirali et usucapio rerum incorporalium permissa fuisset; vixque credibile est, eam sequenti tempore primum interpretatione introductam esse, cum jam in ipsis legibus XII tabul. ejus exemplum inveniatur. Accedit, quod *Gajo Inst. Comm. II, §. 54* autore et integra hereditas usucapi potuerit, in hereditate vero cum res corporales tum incorporales contineantur. Atque res tam nec mancipi quam mancipi (inter quas etiam erant jura praediorum rusticorum) usucapi potuisse *Gajus* autor est *Comment. II, §. 42*.

*Provincialia praedia* usucapionem non recepisse autor est *Gajus l. c. §. 46*, hinc verbum „fundi“ in hac lege restringendum est ad praedia Italica. Appendicem tamen legis ideo vix statuerem, interpretatione potius id inductum putarem, eum tunc temporis nondum de praediis provincialibus sermo esse possit, et stricta legum interpretatione antiqui Romani uterentur. — Sed quaestio est, quo loco collocanda sit ea sanctio quam *Gajus l. c. §. 47* refert, et quae vere decemviralis fuit. Ita vero ille: „*Item res mulieris, quae in agnatorum tutela erat, si erant res mancipi, usucapi non poterant, praeterquam si ab ipsa tutore auctore traditae essent: id ita lege XII tabularum cautum erat*“. Et fere crederem, eam in hac tabula collocatam fuisse, ita ut legem de qua huc usque actum est, immediate sequeretur. Non enim in tabula praecedenti et loco, quo de tutela agitur ea collocata esse potuit, cum lex generalis de usucapione praecedere debeat, atque in computum non venit, quod ubi de furto agitur simul de rei furtivae aeterna autoritate actum sit, cum

ut supra ostendimus, sanctio illa de usucapione plane non sit intelligenda. Contra, quae mox leguntur apud *Gajum l. c. §. 48*: „Item liberos homines, res sacras et religiosas usucapi non posse manifestum est“ in XII tabulis non esse contenta putarem.

#### *Lex IV.*

#### *De mulieris usucapione a).*

Mulieris, quae annum matrimonii ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto b).

a) Inveniuntur, quae lex habet apud *Gell. Noct. Att. III, 2. 9.* „Mucium Jureconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quae cum calendis Januarii apud virum causa matrimonii esse coepisset, et ante diem quartum kalendas Januarias sequentis usurpatum isset. Non enim posse impleri trinoctium: quod abesse a viro usurpandi causa ex XII tabulis deberet: quoniam tertiae noctis posterioris sex horae alterius anni essent, qui inciperet ex kalendis“. Haec totidem verbis etiam apud *Macrob. Saturnal. I, 3.*

b) Variam omnino haec lex interpretationem patitur: 1) Eam ut vir muliere, quae apud eum matrimonii causa (ergo enim pro causa scribebant veteres) remansit, quaque per annum uxore usus est, et in posterum tali utatur, et mulieri permissum amplius non sit a viro discedere, nisi eo anno usurpandi causa i. e. ad interrumpendam auctoritatem usus per trinoctium abfuerit, quo casu vel matrimonium usu contractum vel jura mariti sine omni matrimonio in mulierem quaesita videntur. 2) Eam, ut maritus in uxorem, quae in manum non

convenerat, potestatem, usu annali hujus potestatis non interrupto, simili modo nanciscatur, quam si in manum convenisset. „In priori interpretatione matrimonium nondum contractum, immo et usu non contrahendum supponitur, in posteriori jam contractum. Ridicula plane est tertia quaedam interpretatio, quamulier res consideratur, quae usucapi et usucapione in dominium legitimum mariti transire dicitur. Posterior interpretatio, qua maritus potestatem in uxorem usu nactus praefertur, nobis magis arridet ex his rationibus: 1) verum quidam omnino est, usus auctoritatem defectum mancipationis in acquirendo dominio legitimo supplere, sed vix defectus matrimonii legitimi eo suppleri poterit. Atque in hoc quoque casu lex aliter scribenda fuisset, ita ut ad ipsum matrimonium, non vero ad jus mariti ejus sanctio dirigatur. 2) Si ponis confarreationem solam legitimi matrimonii formam, ea certe nullo usu suppleri poterat, cum quod sacrum est nullo seculari suppleri queat. Atque supra probatum dedimus, nec confarreatione nec coemptione matrimonium proprie contractum esse apud Romanos, utramque potius matrimonio tantum accessisse. Cum vero 3) assumitur, matrimonium solo consensu jam contractum esse, nec opus erat annuo usu, si mulier matrimonii causa apud virum erat, voluntas enim mariti eam uxorem habendi jam supponitur, et ea et voluntate simul mulieris matrimonium jam contractum efficitur, nisi velis consensum solenniter et certis formulis declaratum solum matrimonium effecisse; ita ut matrimonium juris gentium in matrimonium legitimum mutari potuisse decemviri voluerint. Sed hoc supposito lex iterum aliter fuisset concipienda. Quare cum accipitur, legem loqui de justis s. legitimis nuptiis contractis, in quibus vero uxor non convenerat in manum mariti, maritus vero eam ut uxorem con-

ventam tractare, et potestatem in eam usu capere seu adquirere volebat, omnia optime se habere videntur. Ast vix de re amplius disputandum, postquam *Gaji comment. Inst.* nacti sumus. Ita eum ille I, §. 110: *Tribus modis in manum conveniebant* (non ipsum matrimonium contrahebant) *usu, farreo et coemptione.* §. 111: *usu in manum conveniebat, quae anno continuo nupta* (ergo non innupta) *perseverabat etc.*

### *Lex V.*

#### *De Vindictis a).*

Si qui in jure manum conserunt b), secundum eum, qui possidet c): Ast si qui quem liberali causa manu adserat, secundum libertatem vindicias dato d).

- a) Fundus legis sunt; 1) *Gell. h. A. XX, 10*: „Manum conserere est, de qua re disceptatur in re praesenti, sive ager, sive quid aliud est, simul adversarium manu prehenderit in ea re omnibus verbis vindicare. Vindicta i. e. correptio manus in re atque in loco praesenti apud praetorem ex XII tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: *Si qui in jure manum conserunt.* 2) *Livius III, 44.* Advocati puellae (sc. Virginiae) — — postulant ab Appio Claudio ut rem integram in patris adventum differat; lege ab ipso lata, *vindicias dato secundum libertatem.* 3) *Dionys. Hal. XI, 34.* Avunculus puellae — causam dicturum agebat: se vero interea puellam in libertatem ex legibus asserturum; et nullum jus novum postulaturum, aut quod caeteris quoque civibus Romanis non concederetur, licet non omnibus hominibus: ni-

mirum ut ejus, qui ex libertate in servitum asseritur, dominus fit pendente lite. Multasque ob causas hoc jus ab Appio servandum dicebat. Primo quia hanc legem una cum caeteris in XII tabulis descriperat. 4) *Pomponius L. 2. §. 24, D. de Orig. Jur.* Virginius, cum animadvertisset, Appium Claudium contra jus, quod ipse ex vetere jure in XII tabulas transtulerat, vindicias filiae suae a se abduxisse, et secundum eum, qui in servitum ab eo suppositus petierat dixisse etc. — Duas ex una leges fecit *Funccius*, verba uniuscujusque ita constituens: 1) *Si qui in jure manum conserunt utrisque praesentibus testibus vindicias sumere licet.* 2) *Si quis quem liberali causa manu adserat, praetor secundum libertatem vindicias dato.* Duce praesertim *Festo* voc. *Superstites* „praesentes testes praesentes significat, cujus rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus i. e. inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur“, sed vereor ne ritum in vindiciis moribus introductum pro ipsa legis sanctione sumserit.

- b) *Manum conserere* id est *disceptare de re aliqua*, proprie est pugnare seu conflagere cum hostibus: inde ad disceptationes forenses translatum. Imprimis manum conserere dicuntur, vel ut *Gellius* loco supra citato interpretatur, rem cum adversario simul manu prendere, qui rem sibi vindicare vel asserere student: quod certis olim solennitatibus fieri solebat: ut praetore praesente pugnam inirent imaginariam, quam et veteres vim civilem quotidianam et festucariam appellabant, quamque *Hotomannus observat. III, 15* et *Gravina ad h. l. Oper. p. 335* umbram fuisse putant verae dimicationis, qua veteres Romani more Longobardorum diremerint lites. Optime jam nobis hoc „manus conserere“ explicat *Gajus Comment. IV, §. 16*: „Si in rem agebatur (inquit)

mobilia quidem et moventia, quae modo in jus adferri adducique possint, in jure vindicabantur ad hunc modum. Qui vindicabat festucam tenebat, deinde ipsam rem apprehendebat: *Hunc ego hominem ex jure quiritorium meum esse ajo secundum suam causam sicut dixi, ecce tibi vindictam imposui*, et simul homini festucam imponebat. adversarius eadem similiter dicebat et faciebat. cum uterque vindicasset, praetor dicebat: *mittite ambo hominem*, illi mittebant, qui prior vindicaverat, ita alterum interrogabat: *postulo anne dicas, qua ex causa vindicaveris*. ille respondebat \*\*\*\*\* *sicut vindictam imposui*, deinde qui prior vindicaverat dicebat: quando tu injuria vindicavisti D aeri sacramento te provocho, adversarius quoque dicebat: similiter ego te \*\*\*\*\*, asses sacramenti nominabant, deinde sequebantur quaecunque, si in personam ageretur, postea praetor secundum alterum eorum vindicias agebat, id est, interim aliquem possessorem constituebat eamque jubebat praedes adversario dare litis et vindiciarum, id est rei et fructuum: alios autem praedes adversario dare litis et vindiciarum i. e. rei fructuum: alios autem praedes ipse praetor ab utroque accipiebat sacramenti, quod id in publicum cedebat. Festuca autem utebantur quasi hastae loco, signo quodam justi domini: maxime enim sua esse credebant, quae ex hostibus cepissent“. — — Ex his et quae a *Gajo* §. 17 adduntur adparet, veteres in vindicationibus rei praesentiam in jure semper desiderasse, ut ubi propter magnitudinem res ipsa praesens esse non poterat, saltem quod eam repraesentaret adesse debuerit. — De lite vindiciarum caeterum egregie exposuit *de Savigny in der Zeitschrift für historische Rechtswissensch. B. III, p. 411.*

- c) In lite vindiciarum, si de re agitur, semper possessoris partes praefereandae sunt, quod ita intelli-

gendum, ut nonsolum possessor in possessione sua usque ad litis decisionem conservetur, sed etiam si actor intentionem probare nequeat, pro eo iudicetur. Sed cave existimes, possessionem tunc temporis jam efformatam fuisse, in qua sustinebatur reus durante processu et dein lite adversus actorem decisa. Vid. caeterum, quae ad hanc *Gothofredi* restit. monuit *Hugo l. c. p. 215.*

- d) Libertatis favor jubet, ut nonsolum pro eo, qui in exercitio libertatis huc usque fuerit, sed generaliter quoque pro libertate iudicandum sit, si tamquam servus quis vindicetur, et actor eum servum suum esse probare nequeat. Ista tantum sanctio a priori legis in eo differt, quod si quis rem vindicit semper pro possessore, si quis vero hominem, semper pro libertate, etiam contra possessorem iudicandum sit.

### *Lex VI.*

#### *De Tigno juncto a).*

Tignum b) junctum aedibus vineaeve ne concapet c) ne solvito d): ast qui iunxit, duplione damnator e). Tigna quandoque sarpta, donec dempta erunt vindicato f).

- a) Collecta est lex: 1) e *Festo* voc. *tignum*: „*Tignum non solum in aedificiis quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis: ut est in XII: Tignum junctum aedibus vineaeque et concapet ne solvito*“ quae verba *Jos. Scaliger* ita sibi restituisset videtur: *Tignum junctum aedibus vineaeque concapes nei solvito.* 2) *Paulo L. 93.*

§. ult. D. de solut. Lex XII tabularum tignum aedibus junctum vindicari posse scit, sed interim id solvi prohibuit, pretiumque ejus dari voluit“. et L. 23 §. 6 D. de rei vindic. Tignum alienum aedibus junctum nec vindicari potest propter legem XII tab. nec eo nomine ad exhibendum agi: sed est actio antiqua de tigno juncto, quae in duplum ex lege XII tab. descendit. 3) Ulpiano L. 1 D. de tigno junct. Lex XII tabul. neque solvere permittit tignum furtivum, aedibus vel vineis junctum neque vindicare. — — Sed in eum, qui convictus est junxisse in duplum dat actionem. 4) Justiniano §. 29, Inst. de rer. divis. „neque vindicare eam neque ad exhibendum ea de re agere propter legem XII tabul., qua cavetur, ne quis tignum alienum aedibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo praestet, per actionem, quae datur de tigno juncto“. 5) Festo voc. Sarpum: Sarpuntur vineae i. e. putantur, ut in XII tabulis; Quandoque sarpta, donec demta erunt“.

- b) Tigni appellatione hic omnis materia venit ex qua aedificia fiunt vel constant. L. 1 D. de tigno junct. L. 62, D. de V. S. §. 29 Inst. de rer. divis.
- c) Cujac. Obs. XXIII, 19 legit: „concapitum“ i. e. conceptum, sed in paratit. D. ad tit. de tigno junct. a doctiss. Scaligero eum pudet dissentire, qui ingeniosissime „concapes“ reposuit, et depactum ac defixum terrae ad vineam sustinendam, explicavit, cui etiam Fulv. Ursinus ad stipulatur. Turnebus vero Advers. XIII, 27, quadruplicem medelam adfert legendo „copula“ vel „cum capite“ vel neve capito neve solvito“. Anton. Augustinus „concapu“, Raevardus „caputo“ malunt. Jan. a Costa ad §. 29 Inst. de rer. divis. levius mutat „concapeis“ quo concapibus et progeniem vineae explicat, quae

vulgo propago vocatur, Lectionem *Gothofredi* praefert *Ev. Otto*.

- d) Haec ita a *Gothofredo* intelliguntur: „Omnis materia juncta aedibus aut vineae ne vindicator, neque solvitor“, ita ut *concapet* significet *vindicet*. Sed *Funccius* cum *Scaligero* ad *Festum* *To concapet* intelligit de concapitibus et invicem sibi extremitatibus junctis, ut legis dispositio haec sit „*tignum aedibus vineisve junctum ne solvitor*“. Hanc quoque lectionem jam prius comprobavit *Heinecc.* in *notis mscs.* hac tamen ratione ut *To junctum* ad aedes *To concapet* vero ad vineam solam restringi debere putet, quae etiam sententia est *Scaligeri*, qui ad *Fest.* voc. *tignum* ita „*junctum aedibus aedificiorum dicitur, et concapes vineae tantum dicitur, quia habeat corpus suum cum capite vineae commixtum*“. Caput vineae est radix ipsa *Virgilio, Columellae etc.* Atque vineae *concapet* hic nihil aliud est ac paludamenta in vineis omnia, seu quod hodie vocamus *ein Weingeländer*. Exhibet *Ulpian. l. 1, D. de tigno juuct.* rationem legis „ne scilicet aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur“. Tignum itaque alienum aedibus junctum vel vineae *concapet*, licet hoc furtim vel inscio vel saltim renitente domino factum sit, non solvi et vindicanti reddi debet.
- e) Sed ne conqueri possit tigni dominus de facta injuria, pro re duplum rei aestimationis ei dari debet: nullo habito respectu ad id, an junctio bona vel mala fide facta sit.
- f) Putat *Gothofredus* hanc legis sententiam esse ut tigna soluta atque demta omnino vindicari possint. Contra *Funccius* tigna quandoque sarpta putat ad aedificium vel vineam quidem jam praeparata sed nondum juncta. Male uterque: tignum enim sarptum, nec solutum nec praeparatum dici potest, et plane non datur tignum sarptum, cum

vox sarptum ad vineam non ad tignum pertineat, quod ex *Festo* manifesto adparet. Quare recte mihi *Heinecc.* in *not. ms.* divinasse videtur, aliquid deesse; atque *Festum* ea tantum ex lege tradere, quae ad sarptum pertinebant. Legit *Heinecc.* „*Tigna quandoque vinea sarpta donec etc.* ut donec idem sit quod „*Si*“. Sic ultima legis verba ad solam vineam pertinuissent; non etiam ad aedificium. Atque sensus legis dubio procul hic est: *Tigna* vineae concapita, vinea quoque sarpta non vindicari posse, nisi ex ea plane sublata fuerint.

### *Lex VII.*

#### *De Repudio a).*

Si vir repudium b) mittere volet  
causam dicito c), harumque unam.

- a) Locus legis; ejusque simul tenor colliguntur: 1) e *Gajo lib. 3 ad leg. XII Tab. (L. 43, D. ad leg. Jul. de adult.)* „Si ex lege repudium missum non sit, et id circo mulier adhuc nupta esse videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit? 2) *Cicerone Philipp, Orat. II, 28:* „Illam suam (sc. primam Antonius) suas res habere jussit ex XII tabulis causam addidit, exegit: ubi tamen alius praeplacet lectio: „ex XII tabulis *claves* ademit, exegit“. Varie interpretes hanc legem constituerunt eg. *Charondas* ita: *si vir ab uxore divertit, uxori res suas sibi habere jubeto, eique claves adimito*. Eodem fere modo *Rittershusius* adjecto solum hoc: *foras eam exigito*. *Hotomannus* alii: ut si e conjugibus alter alteri nuncium mitteret, eumque res suas sibi habere juberet, divortium esset“. *Hoffmannus* plane caeterum *Gothofredum* sequutus omisit verba: *harumque unam*“, Putat *Heinecc.*

in *not. ms.* hanc legem pertinere ad solum usum: matrimonium enim solo usu contractum sola quoque voluntate mariti dissolvi potuisse, atque vix opus fuisse repudio, cum quae uxor in manum mariti usu convenisset, uxor tantum habita sit: eoque pertinere essatum *Gaji*, non videri adulterum, qui nuptam duxit, cum usum scire non poterit. Quare et alii talem uxorem plane injustam putarunt, moti loco *Ulpiani L. 13, §. 1, D. ad leg. Jul. de adult.* Conf. *Ant. Matthaei de criminib. ad lib. XLVIII Dig. tit. 3.* Sed supra demonstratum dedimus, matrimonium usu plane contrahi non potuisse: potestas tantum in uxorem adquiri. Atque dubium fere esse nequit, hanc legem in quarta tabula in fine collocandam. Vid. *supr. p. 195.*

- b) Repudium hoc loco idem est, quod divortium: alias sunt diversa. *Modestin. L. 101, §. 1, D. de verb. signif.* In repudiis solennia mittentis erant: tua conditione non utar. *L. 2, §. 2, D. de divort. et repud.* Res tuas sibi sumito etc., cum ademptione clavium conjuncta, etiam foras exactione.
- c) Vir uxori, non uxor viro repudium mittere potest. Aliter apud Athenienses, quod testatur duplex ille actio *δικη ἀπολειψῆς* et *δικη ἀποπυμπῆς*. In eo quoque differt jus Athen. a Romano, quod secundum prius nulli conjugum licebat privata auctoritate divertere ab alio, posterius vero marito hoc permittit. Sed et apud Romanos divortium facere non poterat maritus sine causa eaque litteris exprimenda erat, ut matrimonium tunc juste solutum dici possit, tum soluti probatio existeret. Atque unius tantum causae dictio sufficiebat.

---

Exstitit sine dubio in hac Tabula quoque ea lex cujus meminit *Gajus Comm. Ins. II, §. 46*, his verbis: „*Nam res mulieris, quae in agnatorum tutela erat, si erant res mancipi, usucapi*

non poterant, praeterquam si ab ipsa, tutore auctore traditae essent: id ita lege XII tab. cautum erat“.

## Tabula septima.

### De Delictis a).

#### Lex I.

### De pauperie b).

Si quadrupes pauperiem c) faxit, dominus d) noxi aestimiam offerro d): si volet, quod noxit, dato e).

- a) Cum quae supersunt e quarto *Gaji* ad leges XII tabular. libro fragmenta, ad haec duo genera referantur, ad *delicta*, *juraque praediorum*, hujus quoque et proxime sequentis tabulae eandem materiam fuisse *Gothofredus* putat: atque cum apertissime constet ex capitum seu sententiarum ordine, quae *Gaji* lege 236 D. de verb. signif. continentur, de delictis prius quam de juribus praediorum his tabulis actum fuisse, de delictis materiam hac tabula comprehendit.
- b) Fundus legis est: 1) *Ulpian. L. 1, D. §. 1 et 2 si quadrupes etc.*: „Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, actio ex lege XII tabul. descendit, quae lex voluit aut dari id quod nocuit i. e. id animal, quod noxiam commisit; aut aestimationem noxiae offerre. Noxia autem est ipsum delictum.

2) *Justin. pr. Inst. si quadrupes pauper. fec. dicat.* Animalium nomine, quae ratione carent, si qua aut lascivia aut pavore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege XII tabularum prodita est“.

- c) *Pauperiem* definit *Ulpianus* l. c. *damnum sine iniuria facientis datum: nec enim potest animal iniuria fecisse, quod sensu caret. Similiter Festus h. v.*
- d) Dominus hic intelligitur non ille solum, qui animalis proprietatem habet, sed etiam, qui post illatum proximo damnum in quadrupedis possessione remansit.
- e) Damni aestimationem offerat. *Noxi* i. e. damni *Festus v. noxa:* „noxa ponitur pro peccato aut pro peccati poena“ *Aestimiam* veteres dixerunt pro *aestimatione. Festus h. v.*
- d) Si velit ipsum quod noxiam fecit animal dato ad noxiam resarciendam. Quod si fecerit possessor, actio noxalis adversus eum cessat. Atque haec noxae datio ideo introducta est, ne possessori admodum detrimenti sit possessio animalium, qui neque procuravit neque avertere potuit damnum, quod dedit quadrupes.

Non distinguit lex, an animal contra naturam sui generis damnum dederit vel non: haec potius distinctio seniori aevo tribuenda videtur, quae etiam est *Balduini ad h. l.* et *Schultingii in Jur. Antej. p. 253* sententia, et ipse *Paulus sent. rec. I, 11, §. 1* non distinguit dicens: „*Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumque dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur*“.

- e) Collocat lex in arbitrio domini, an damni aestimationem praestare vel animal noxae dare velit. Hinc recte *Ulpian. L. 6 §. D. de re jud. in noxalibus actionibus aestimationem in condemnatione esse aut noxae deditionem in solutione.*

Atque haec noxae datio ideo introducta est. ne animalia dominis ultra pretium eorum nocerent. An legis tenor ex jure Attico mutuatus sit, adhuc sub judice lis est. Judicium quidem a Solone institutum esse ob damnum a quadrupede datum, actionemque introductam (βλάβη, δίκη τῶν τετραπύδιον) autor quidem est *Plutarch.* in *Solone*, sed de hujus actionis natura et indole nihil constat.

## *Lex II.*

### *De Damno injuria casuque dato a).*

Si b) injuria ruptitias c) — — —  
— — — —. Ast si casu sarcito d).

- a) Exstant duo tantum obscuriora hujus legis vocabula apud *Festum* v. *ruptitias* et *sarcito*: primo „*ruptitias*“ inquit, in *XII tabul.* significat *damnum dederis*“. Altero „*Sarcito* in *XII Servius Sulpitius* ait significare: *damnum solvito praestato*“. Sanctionem de damno injuria dato in *XII Tabulis* fuisse, expressim quoque testatur *Ulpian. L. 1, D. ad leg. Aquil.* „*Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante se de damno injuria locutae sunt, derogavit, sive XII Tabulis, sive quae alia lex fuit*“.

Sed ita omnis hujus sanctionis memoria abolita est, ut ne verbo quidem ejus mentionem faciat *Gaj.* in *Inst. comm.* loco, quo de damno injuria dato agit. Placere posset *Heineccii* in *notis ms.* conjectura, decemviros plane fugisse discrimen inter injurias, et damnum injuria datum, ex lege *Aquilia* demum inductum: ideoque istam legem post leges de injuriis ponendam, ita ut

quidquid non proprie animo injuriandi factum fuerit, ea contineatur: nisi manifesto obstarent *Ulpiani* testimonium, atque ipsae, quae in hac tabula supersunt sanctiones decemvrales. Quare de supplendis tantum iis, quae manca sunt agitur, non de ejicienda tota lege vel post leges de injuriis collocanda.

- b) Qui ante *Gothofredum* in restituendis XII tabulis versati sunt, hanc legem ita exprimunt: „*si injurias ruptitias sarcito*“ omissis plane verbis „*ast si casu*“, quae unde *Gothofredus* hauserit quidem nescitur, sed absurda foret legis dispositio, si seposueris.
- c) *Ruptitias*. Putat *Scaliger* legendum „*ruptis*“ damnum ut dederit significet. Sed et ipse *Festus* „*ruptitias*“ damnum dederit interpretatur, ut idem plane sit quomodo legatur. Legem loqui de damno injuria dato ex *Ulpiano* constat, et ex illis verbis, quae mox sequuntur „*ast si casu*“ sequitur, priorem legis sanctionem damnum dolo datum concernere. Ex sanctionibus de injuriis, de quibus infra, porro sequitur, legem loqui non potuisse de damno corpori libero dato, quod ad injurias pertinet: de damno tantum rei alienae adlato, sive sit servus, sive animal, sive alia quaecunque res. Ast certe non de omni damno dolo rei alienae dato in lege sancitum fuit; sed de eo, quod fiebat dolosa rptione. Ruptio vero non est, ut interpretatur *Festus*, damni injuria datio sed ut legitur in libris juris, *quoquo modo facta corruptio*, ut nonsolum usta aut proprie rupta aut fracta, sed etiam scissa et collisa et effusa, immo monente *Gajo Inst. comment. III, §. 217 et peremta*, hoc verbo contineantur. Rptioni rei alienae injuria et dolose factae lex XII tabularum poenam eamque generaliter definierat (quam? amplius dici nequit) quam dein lex *Aquilia* sustulit, atque pro ea damnationem in id

quanti res in certo tempore plurimi fuerit, substituit. Sed et aliam adhuc mutationem fecit lex Aquilia, inter servum quadrupedemque, quae pecudum numero sit, occisum, eumque vulneratum tantum, aliamque quaecunque rem corruptam immo peremptam distinguens, et secundum hanc distinctionem damni reparationem definiens. Quod vero apprime in lege Aquilia notandum videtur, est doli et culpa assimilatio, cum lege XII tabularum forsitan rectius inter dolum et culpam distinctum fuerit.

Hanc legis in priori ejus membro restitutionem tentavit *Heinecc.* in *not. ms.* „*Si injuria ruptitias fecerit, verberator*“, an bene vel male, judicent alii. Hoc certum videtur, poenam in lege statutam esse, sed an corporalis vel pecuniaria tantum, non liquet.

- e) *Si vero casu occiderit damnum integrum tantum sarciat qui fecit* i. e. resarciat, vel restituat. Putat *Pothier* ita scribere non potuisse decemviros, ut damnum quoque casu datum in computum veniat, atque legis verba haec fuisse: „*Si injuria ruptitias sarcito*“ sed fugisse plane videtur virum doctissimum, casum hic opponi dolo, idemque esse, quod *non proposito factum, sed quod culpa non caret*. Non enim casum merum vindicare voluerunt decemviri: cum dolo culpam tantum.

### *Lex III.*

*De frugibus excantatis* a)!

Qui frugibus excantassit b)

— — — — — c).

- a) Plura pro hac lege testimonia exstant. *Plin. Hist. nat. XXVIII, 2.* Quid? non et legum

ipsarum in XII tabulis verba sunt: qui fruges excantasset. *Senec. natur. quaest. IV, 7.* „Apud nos in XII tab. cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. *Apulej. Apul. prim.* „magia ista, quantum audio, res est legibus delegata, jus inde antiquitus XII tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. *Augustinus de civit. Dei VIII, 19.* Et quod hac pestifera scelerataque doctrina, fructus alieni in alias terras transferri prohibentur; nonne in XII tabulis — *Cicero* commemorat, esse scriptum, et ei, qui hoc fecisset supplicium constitutum. *Servius ad eclog. Virgil. 8 V. 99.* Atque satas alio vidi traducere messes: magicis inquit artibus quibusdam hoc fiebat. Unde est in XII tabulis: „*neve alienam segetem pellexeris*“. Quod et Varro et multi alii scriptores fieri deprehensum animadvertunt.

- e) Nonnulli interpretes ex *Servio* separatim effingunt caput „*neve alienam segetem pellexeris*“ vel additamentum modo in his „*vel alienam etc.*“; atque *excantare fruges* et *pellicere eos* distinguunt, quod reprobat *Gothofredus*, *Servii* verba non esse legitima asserens, sed interpretationi legis tantum inservientia. Atque qui eam sequitur *Hoffmann.* verbum *excantare* hic duplicem admittere significationem asserit, et primo indicare *fruges cantu foras elicere* et de suo in alienum *pellicere*, quorsum illud pertineat *Virgilii* et *Servii*: „Secundo magicis carminibus obligare seu excludere et impedire, quominus quid crescat adolescat vel ad maturitatem perveniat, quorsum spectet locus *Ovidii eleg. VI libri III amor.* „*Carminibus laesa Ceres etc.*“ nec non loc. *Senecae* supr. cit. *Heinecc.* in not. ms. legendum putat: „*Qui fruges excantasset vel alienam segetem pellexerit sacer esto*“, quam lectionem praeferrem. Superstitionem istam

Romanam ex variis antiquorum locis caeterum probavit *ab Idsinga Var. jur. civ. 16.*

- c) Quae desunt ita restituenda putat *Heinecc.* in *not. ms.* „*Cereri sacer esto*“. *Funcc.* vero „*Cereri necato*“, quod plane idem est. Atque eodem modo jam pridem *Raevardus*, atque vix est, quo haec restitutio impugnari possit.

#### *Lex IV.*

### *De fruge noctu depasta sec- tave a).*

Qui frugem aratro quaesitam b) fur-  
tim nox pavit secuitve c) suspensus Ce-  
reri necator d): Impubes praetoris arbi-  
tratu verberator, noxiamque duplione  
decernito e).

- a) Hujus legis unica tantum probatio exstat apud *Plin. histor. natural. XVII, 3:* „*frugem qui-  
dem aratro quaesitam, furtim nocte pavisse ac  
secuisse, puberi XII tabulis capitale erat, su-  
pensumque Cereri necari juebant gravius, quam  
iu homicidio convictum. Impuberem praetoris  
arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni*“.
- b) Differentiam statuunt decemviri frugum sponte nascentium et earum, quae rastris et ligonibus tellure culta proveniunt. Hoc loco omne genus frumenti intelligitur, licet alias frumentum et fruges separentur. Non itaque spectat lex ad fruges hortorum, quae aratro non quaeruntur atque vel minus ad fructus arborum.
- c) *Furtim noctu pavit secuitve:* nox hic iterum pro „*noctu*“ ut supra. Abundare putat alteram vocem *furtim* vel *nox Merula*, sed rectius eas distin-

guit *Marcilius*. Potest enim, quod vult *Hoffmannus* furtim esse et interdium, viceque versa noctu et non furtim, et auget crimen temporis circumstantia. Ast plura adhuc consideranda videntur. Puto scriptum fuisse „*furtim, noctuque*“ ita ut dominus fundi illico resistere non potuerit. Haec enim videtur legis sententia esse, ne frumentum alienum invito domino absorbeatur vel auferatur. Sed quid *pavit secuitve*? *pavit* i. e. *depascit* non perdit ut volunt *Funccius* alii. *Secuitve* i. e. vel demessuit. Duo sunt delicta in lege distincta, scilicet, si quis immissis animalibus frumenta depaverit, vel si quis immissa falce secuierit. An frumentum jam maturum fuerit nec ne, nil interesse videtur. Atque bene cohaeret lex cum ea, quae sequitur, haec enim non de eo, quod furtim et noctu, sed quod interdium et publice fit agit.

- d) *Lipsius* legendum putat: „*Sacratus Cereri verberator*“. Sed nil mutandum putat *Hoffmannus*, cum Romanis laquei non minus, quam furcae et crucis poena cognita fuerit atque ignominiosissima.
- e) Eadem est distinctio, quam decemviri in fure pubere et impubere admiserunt, (Vid. supr. Tab. II.

### *Lex V.*

#### *De pastu pecoris a).*

Qui pecu endo alieno impescit b) — — — — —  
 — — — — c).

- a) Provocatur ad probandum hanc legem 1) ad *Festum* voc. *impescere*, qui hoc verbum sic defi-

nit: „*impescere est in laetam segetem pascendi gratia immittere, quo verbo usi fuisse videntur decemviri in ea lege, quam de pastu pecoris in alieno sanciverant.* 2) Ad *Ulpian.* in *L. 14, §. ult. D. de praescript. verb.* Si glans ex arbore tua in meum fundum cadet, eamque ego immisso pecore depascam, *Aristo* scribit, non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim. *Nam neque ex lege XII Tabul. de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur; neque de pauperie; neque de damni injuria agi posse.*

- b) Ex *Ulpiani* relatione sequi videtur, hac lege non omnes quoscunque casus comprehensos fuisse, quibus pecus alienum in fundo nostro contra jus pascens damnum infert. Et quidem primum ex comparatione hujus et praecedentis legis sequitur, casum plane exclusum fuisse, quo noctu clam et dolo pecus nostrum in fundum alienum immittimus ut depascat frumentum. Sed et casus exclusus videtur, quo interdium hoc fit et publice, atque legis verba ad eum tantum casum spectare, quo immissum pecus glandem ex arbore aliena procidentem in fundo alieno depascit, quare etiam *Charondās* istam legem ita constituit: „*Si immissum pecus glandem ex arbore aliena procidentem in fundo alieno depascatur*“. Sed rectissime omnino *Heineccius* in *not. ms.* hanc legem ad omnes quoscunque casus trahit, qui superiori lege non continentur, eo solo excepto, quo pecus nostrum sponte in fundum alienum descendit, qui neque hac neque superiori lege continentur.

Decemviros de eo casu sancivisse, ex *Ulpiano* adparet, quo pecus pascendi causa in fundum alienum interdium immittitur, nulla habita ratione, an furtim hoc fiat nec ne, atque in fundum, in quo fruges non sunt aratro quaesiti. Casum enim quendam ex lege tantum refert *Ulpianus*, non omnes quoscunque casus, qui sub ea continentur,

eum scilicet, quo glans ex arbore aliena in fundum alienum procidens depascitur. Sed et ad eum casum legem extenderem, quo interdum et publice pecus in fundum alienum immittitur, in quo sunt fruges aratro quaesitae. Facile enim fundi dominus huic attentato resistere potest; si non fecerit, ejus culpa erit.

- e) Restituit *Charondas* „noxae dedito“ sed male. Apparet enim ex *Ulpiano*, non de damno, quod pecus sponte intulit sermonem fuisse, sed de eo, quod intulit immissum. Et puto cum *Heineccio* in *not. ms.* a decemviris non restitutionem solam omnis damni sancitam fuisse, sed poenam quoque, posteriorem vero dein sublatam, et ad priorem consequendam actionem de pastu introductam. Atque certe damnum per spontaneum pecoris pastum illatum actioni de pauperie subfuit, cum quae posteriori aevo inventa fuerit distinctio intra quadrupedem, quae contra naturam sui generis damnum dedit, quaeque non, tempore XII tabularum nondum cognita esset.

## *Lex VI.*

### *De incendio a).*

Qui aedes b) acervumve frumenti ad aedes positum dolo sciens incensit c), victus d) verberatus igni necator: ast si casu e) noxiam sarcito. Si nec idoneus escit, levius castigator f).

- a) Legis sententiam refert *Gajus lib. 4, ad leg. XII Tabul. (L. 9, D. de incend.)* Qui aedes acervumque frumenti juxta aedes positum combus-

serit, vinctus verberatusque igni necari iubetur, si modo sciens prudensque id commiserit: si vero casu i. e. negligentia, aut noxiam sarcire iubetur, aut si minus idoneus sit, levius castigatur.

- b) *Aedium autem appellatione*, inquit *Gaj.* l. e. *omnes species aedificiorum continentur.*
- c) *Incensit pro incenderit.* vid. *Festum h. v.*
- d) Alii legunt „vinctus“, quae lectio plane cum *Gajo* convenit. *Merula* exhibet „ictus“. Respicere haec verba ad antiquum Romanorum morem, quo capitale supplicium virgarum poena praecedere solebat putat *Heineccius* in *not. ms.*, ideoque legendum *virgis*, quasi „*virgis verberatus*“. Sed huic conjecturae *Gajus* adversatur.
- e) Verbo *casu* hic iterum *culpa* continetur, quae *dolo* opponitur. Non enim, quod solo casu accidit incendium decemviri vindicare potuerunt.
- f) Poenae, quae hic substituitur in castigatione pro *non idoneo*, non locus est, cum damnum culpa illatum plane non reparari possit, sed tum proprie, cum ejus reparatio ex parte quidem sed in totum fieri nequeat. Alii legem de eo casu solum loqui putant, quo nihil restitui potest.

## *Lex VII.*

### *De Injuriis.*

(*Paul. Sent. rec. rec. V, 4*: „*Injuriarum actio aut lege aut more aut mixto Jure introducta*

est. *Lege XII tabul. de famosis carminibus, membris ruptis, et ossibus fractis*“. (Omisit *Paulus* sanctionem de injuriis levioribus.)

## Cap. I.

### De Injuriis levioribus a).

Si qui injuriam b) alteri faxit  
XXV aeris c) poenae sunt.

- a) Hujus legis probatio desumpta est: 1) ex *Gellio N. A. XX, 1*. Quod vero dixi, quaedam esse impendio molliora: nonne tibi quoque videtur minus esse dilatatum, quod ita de injuria poenienda scriptum est: „*si injuriam faxit alteri, viginti quinque aeris poenae sunt*“. Quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae libidine XXV asses deterreant“. Viginti quinque assium in XII tabulis etiam meminit XVI, 10.
- 2) Ex *Paulo* in *collat. legum Mosaic. et Rom. tit. de atroci injuria*. 2) „*Injuriarum actio aut legitima est aut honoraria. Legitima ex L. XII tabul. Qui injuriam alteri faxit, quinque et viginti sestertiorum poenam subito*“. Adde *Gaj. Inst. Comm. III, §. 223*: „*Propter caeteras vero injurias XXV assium poena erat constituta; et videbantur illis temporibus in magna paupertate satis idoneae ipsae pecuniariae poenae*“: ex quo loco simul patet hanc legem primum post legem, quae sequitur in XII tabulis positam fuisse.
- b) Legerem cum *Heinecc. in not. ms. „Injurias*“. Atque lex generaliter de injuriis sanxit, ita ut ejus dispositio locum habeat, si nihil accedit, quo injuriae commissae aggravantur, quare etiam ex

usitata distinctione injuriarum graviorum a levioribus ei cum *Hoffmanno* inscriptionem de levioribus injuriis dedimus. Injuriarum vero appellatione ex mente decemvirorum continetur omnis contumelia et offensio ipsi personae liberi hominis illata vel verbis vel factis, vel mediate vel immediate, quo injuriae ab injuria factis vel optime distinguuntur.

- e) Malunt alii „*viginti quinque poenae*“, quod interprete *Festo v. viginti* significet XXV asses. Cui poenae, cum adeo levis esset, ut illuderetur, teste *Gellio XX*, et relicta legum XII tab. sanctione praetores injuriarum aestimationem substituerunt.

## Cap. II.

### De injuriis gravioribus a).

1) Si qui pipulo occentassit b), carmenque condidisset, quod infamiam faxit, flagitiumve altero c) fuste ferito d).

2) Si membrum rupsit, ni cum eo paicit, talio esto e).

3) Qui os ex genitali fudit f) libero CCC, servo CL aeris poenae sunt g).

- a) Probationes pro illis, quae hoc capite continentur, certe plures sunt. *Cic. lib. IV de republ. ap. August. de civit. Dei II, 9*: „nostrae contra XII tabulae, cum perpaucae res capite sanxissent, in iis hanc quoque sancendam putarunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri“. *Arnobius*

*adv. gent. IV*: „Carmen malum conscribere, quo fama alterius conquinetur et vita, decemviralibus scitis evadere noluitis impune“. *Cornutus* in *Persii satyr. I, v. 137*. Cratinus, Eupolis et Aristophanes comoediarum auctores fuerunt. Primi etiam exemplum dederunt liberi scribendi, qui cum amaritudine multa inveciti sunt in principes civitatis: propter quod lege XII tabul. cautum est, ut fustibus ferietur, qui publice invehebatur, *Ulpian. L. 5, D. de injur. et fam. libell.* Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, doloque malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine; uti de ea re agere liceat, et si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse jubetur. — *Gell. Noct. Att. XX, 1*. Nonnulla autem in istis legibus XII tabul. nec consistere quidem visa sunt: velut illa lex talionis, cujus verba, nisi memoria me fallit, haec sunt: „si membrum rupit, ni cum eo pacto, talio esto“. *Festus v. talio*. Talionis mentionem fieri in XII ait *Verrius* hoc modo: „si membrum rupserit, ni cum eo pacit, talio esto“. Neque id quid significet indicat: pacto quia notum est; permittit enim lex parem vindictam. *Justinian. §. 7, Inst. de injur.*: poena injuriarum ex lege XII tabul. propter membrum quidem ruptum talio erat — sed poena quidem injuriarum, quae ex lege XII tabul. introducta est, in desuetudinem abiit“. — *Gell. c. l. XX, 1*“. Injurias atrociores, ut de osse fracto, non liberis modo, verum etiam servis factas, impensiore damno vindicaverunt“. *Paul. in Collat. Leg. Mos. et Rom. tit. de atroc. injur. II, §. 5*: „Injuriarum actio aut legitima est aut honoraria. Legitima ex lege XII tabul., qui injuriam alteri faxit, quinque et viginti sestertiorum poenam subito. Quae lex generalis fuit libero trecentos servo CL poenara

subito sextertiorum“. Ita edid. *Hugo Jurispr. antiq. II, p. 1427*. Ab aliis contra legitur „Si libero fregit os, trecentos, si servo os CL poenas subito“, et „qui os ex genitali fudit libero CCC, servo CL poenam subito sestertiorum“. *Justinian. §. 7 Inst. de injur.* propter os fractum ex lege XII tabul. nummariae poenae constitutae erant. — Quibus probationibus jam accedit *Gaj. Inst. comm. III, §. 223*: „Poena autem injuriarum ex lege XII tabular. propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum aut collisum trecentorum assium poena erat, veluti si libero os fractum erat; at si servo CL.

b) *Salmas. Obs. ad Jur. Att. p. 264* vocem „pipulo“ abjiciendam tamquam superfluum censet, cum contra alii abjecto et τθ „condidissit“ vocem occentare cum subsequenti verbo „malum carmen conjungant, quasi decemviri dixerint *occentare malum carmen*, ut *Scaliger in Festi castig. v. occentassit*. Alii pro „occentaverit“ legunt „actitaverit“ ut *Rosinus*, vel „ocitaverit“ adhuc addunt ut *Lipsius*. *Gothofredi* lectionem, quod attinet verbum „pipulo“ plane probat *Heinecc. in not. ms.* „Si qui pipulo actitassit, vel occentassit etc. quam lectionem omnibus praefero. Pipulus vel pipulum dictum est a pipatu pullo- rum. *Non. Marcell. c. 2. nr. 66*: „Actitare idem est quod agere. Et nil aliud his verbis indicare voluerunt decemviri, ac quod hodie appellamus „jemanden öffentlich auszischen seu auspfeifen. Occentare est publice quem verbis dif- famare. *Plaut. Curcul. Act. 1 sc. 2. Festus h. v.* seu quod hodie appellamus: „jemanden öffentlich schimpfen oder schelten“.

c) *Carmen*. Haec vox hic sumenda est in sensu proprio: carminibus enim in ejusmodi famosis libel- lis uti solebant, quod poesis praecipuo quodam veluti stimulo et acumine homines afficere, et

cujuslibet opera gestaque haudquaquam vulgari modo ferire valet. Atque verbis decemviralibus non contineri solum videtur *libellus famosus* proprie sic dictus, seu *das Pasquill*, a *Pasquino* quodam Romano ita dictus, sed *satyra in personam* quoque, praesertim in personas publicas. Sed non omnis *satyra* defenditur: carmen tantum ad infamiam alterius tendens seu ejus existimationem laedens: id quod indicat *To* „Flagitium faxit“ *Jos. Scaliger* in *Fest. h. v.*

- d) Capitis poenam a decemviris propositam esse ei, qui occentassit vel carmen condidisset, autor est *Cicero*, quare etiam a plurimis interpretibus legitur „*capitale* est“. lege intestabilem esse, qui tale quid admiserit ait, *Ulpianus*. Sed quae lex adhuc quaeritur: si enim supplicium de eo sumebatur, qui criminis noxius inveniebatur, jam, ut servus poenae effectus, tesari non poterat. Sed plane negat *Heinecc.* in *not. ms.* capitis poenam, quam praeunte *Cicerone* alii interpretes statuunt, et fustibus tantum admonitum seu coercitum esse carminis seu occentationis autorem atque intestabilem esse jussum. Quare legendum putat: „*fustibus feriatur intestabilisque sit*“.
- e) Membri rupti poena talionis generaliter constituitur, nisi transactio intercesserit. *Talio* i. e. tale quid experiatur, quale fecit alteri. Atque talio quidem est vindicta privata, sed non illimitata, sed qua idem rependitur.
- f) Id est, qui dentem ex guinguina excussit, nam genitale dictum ubi gignitur. *Festus* v. *genius* et *genitalis*. *Isidor.* *Orig.* XI. quamvis *Gravina* hanc interpretationem rejiciat, quod ita nimis coangustetur legis sensus: sed ossium reliquorum fractio membri ruptione continetur, de qua praecedenti capite sancitum est. *Ev. Otto* dum monet, sanctiones legum decemviralium non recte dispositas esse a *Gothofredo* integram hanc

sanctionem rejicit: veteres enim plane ignorare talem legem, nec vocem *genetale* eo sensu notam esse quo hic eam usurpaverit *Gothofredus* Et *Pauli* locum plane corruptum esse in oculos incurrit, Sed jam ex *Gajo* restitui potest ita:

*Si os fregit vel collisit libero CCC, servo CL aeris poenae sunt.*

- §) Distinguitur in lege, an libero vel servo os ex genitali quis fuderit. Negat *Heinecc.* in *not. ms.* hanc unquam distinctionem in XII tabulis fuisse et *Pauli* locum ex quo solo probetur corruptionis arguit. Sed jam haec *Pauli* lectio a *Gajo* confirmatur. Damnum itaque injuria datum ad hunc casum non pertinuerit, necesse est.

### *Lex VIII.*

#### *De teste instrumentario deser- tore a).*

Qui se sirit testarier b) libripensue fuerit c), ni testimonium fariatur d) improbus intestabilisque esto e).

- a) Probatur haec lex ex *Gellio Noct. Att. XIII, 15: Item ex iisdem tabulis id quoque est: quae si erit testator, libripensue fuerit in testimonium feriat, improbus intestabilisque esto*“.

- b) Locum *Gellii* manifesto corruptum varie aggressi sunt viri docti, primum *Cujacius*, qui e pervetusto codice restituit ut hic legitur, quemque deinde secuti sunt una cum *Gothofredo* plurimi XII Tabul. interpretes. Atque lectio illa *Cujaciana* in novissimis quoque *Gellii* editionibus recepta est. Non tamen plane negligenda

videtur restitutio *Salmasii* (ad *jus Attic.* p. 815) qui se amiserit testarier“ similiter ex libris antiquis, ut praefert, desumpta, et *Marcilii*, qui legit „qui se sivit antestariier“. Contra plane spernenda videntur *Adrian. Turnebi* lectio: „Qui si erit testatus etc.“ et illa *Ludovic. Chorondae*: „Quae si erit testata libripensue fuerit, aut in testimonium feriat, improbus intestabilisque esto“. Atque „qui se sivit testarier“, idem est, ac qui se siverit testari i. e. qui permisit, ut testis adhibeatur negotio quodam juridico. Nec legerem cum *Heineccio* in *not. ms.* „Qui testis libripendensve fuerit“: libripendens enim aderat ex officio, testis ex rogatu. Legis caeterum sententiam constat hanc esse: eum qui se passus fuerit in testem rogari, aut qui libripendens fuerit, si nolit fidem testimonio probare, pro improbo et intestabili habendum esse.

- c) *Libripendens* dictus a libra et pendendo, quasi libra pendens seu ponderator, is erat, qui in mancipationibus libram seu stateram manu tenebat, qua alteri parti pro re vendita aes pendebat vel pendere videbatur.
- d) *Si provocatus ad id testimonium dein in iudicio dicere recusat. Fariatur pro profiteatur.* *Fariari* antiqui dicebant pro *fari*. Sermo est de teste actui adhibito, qui postea testimonium defugit seu declinat.
- e) *Improbus est homo nequam injustus et malus.* Videtur quibusdam hoc loco idem esse ac infamis. Sed recte *Hoffmannus* observavit, verbum magis ad infamiam facti referendum esse auctore *Livio X*, ubi de lege *Valeria* pro malo facto accipit, cuius virum honestum pudere debet: *Valeria* lex, inquit, cum eum, qui provocasset, virgis caedi securisque necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adjecit: id (qui tum pudor erat hominum) visum

credo vinculum satis validum legis: nunc vix servo quisquam ita minatur“. — Quid sit *intestabilis* optime exposuit *Theophil. §. 6, Inst. de testam. ord.* Sunt et alii, inquit, qui omnino a testamentario testimonio arcentur etc. Item improbus intestabilisque. Et quoniam hic est? Finge: cum quidam testamentum ordinaret; rogatus est filius in testem, et se testem adhiberi passus est, hoc est testamento subscripsit et signavit: mortuo testatore noluit adesse et testimonium perhibere agnita subscriptione sua signoque. Hunc leges odio persequuntur, neque ex alieno testamento quicquam capere sinunt, neque jus testandi concedunt, neque in alieno testamento testem esse permittunt.

### *Lex IX.*

#### *De falso testimonio a).*

Si falsum testimonium dicassit b),  
saxo c) dejicitor.

- a) Fundus legis est *Gellius, h. A, XX, 1*: „An putas, Favorine, si non illa etiam ex XII tabulis de testimonio falsis poena abolevisset; et si nunc quoque ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, e saxo *Tarpejo* dejiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos quam videmus“.
- b) *Dicassit pro dixerit. Festus h. v.*
- c) Inserit *Funccius* „*Tarpejo*“ sed superfluum videtur. Caeterum hanc de saxo dejectionis poenam decemviri falsis testimonio sine discrimine caesarum dixisse credendum est.

## Lex X.

*De Homicidii crimine a).*

Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit b) quive malum carmen incantassit c) aut malum venenum faxit duitue d), parricida esto e).

a) Claudicant admodum probationes pro hac lege. Prima ejus verba desumpta sunt ex lege *Numae Pompilii*, quam supra pag. 38 retulimus. Sed deficit probatio, istam sanctionem in XII tabulis receptam esse. — *Plin. Hist. nat. XXVIII, 2:* „Maxime quaestionis et semper incertae est, inquit, valeantne aliquid verba et incantamenta carminum? — Quid non et legum ipsarum in XII tabulis verba sunt: *Qui fruges excantassit. Et alibi: Qui malum carmen incantassit.*“ Verba posteriora omnino huc pertinere videntur, incerta tamen res est. De Veneficio in XII tabulis sancitum fuisse *Gajus* autor est in L. 236, D. de V. S. *Funcius* duas leges ex una fecit, integram *Numae* sanctionem de parricidio in primam recipiens alteram ex verbis „*qui malum carmen etc.*“ constituens. Idem quoque fecit *Heinecc.* in not ms., qui legem posteriorem ita reddit: „*Qui malum carmen incantassit malumque venenum faxit duitue sacer esto*“ inductus a *Scaligero*, qui *Festum* in fine litterae P. ita supplevit: „*tribus XXXV. Aut privilegia irrogare, aut de capite civis statuere, nisi maximo comitiatu vetant XII tab. leges, praeterquam in veneficos, quique malum carmen incantant, quia ipsi indemnati jure occiduntur.*“

b) *Morti dedit, interficit. Duit pro dedit.* Loquitur lex de eo crimine, quod jam appellamus *eine vorsetzliche wissentliche Tödtung.*

- c) Verbum *carmen* hic in sensu improprio sumendum. Sermo est de magicis susurris, quibus quis vel occiditur, vel debilitatur. Eaque legum XII tabul. sanctio dein repetita est in *lege Cornel. de siccar.* vid. *Theoph. ad §. 5 Inst. de publ. judic.* Caeterum hoc legis caput a superiori „*qui frugis excantassit*“ separatim fuisse *Plin. docet histor. natur. XXVIII, 2.* Hoc ergo ad personas et vitam hominum; ut illud ad fruges perdendas referendum est.
- d) Legis dispositio non ad eos solum spectare videtur, qui venenum dederunt occidendi causa: ad eos quoque, qui venenum fabricarunt, eum in finem, ut eo homines occidantur, quod indicant verba „*faxit, duitque*“ i. „*fecit, deditve*“.
- e) Eadem sunt verba, quae in lege *Numae* supra citata vulgo eduntur. Sed quae poena homicidii? Supra monuimus *Heineccium* legere: „*Sacer esto*“ pro „*parricida esto*“, quod displicet. Sed neque hic, neque supra in lege *Numae* recte scriptum puto, et pro „*parricida*“ legendum „*capital*“, ita ut quisque parricida capitalis poenam luerit, nisi velis cum *Scaligero* ad *Festum* v. parricida, statuere, clausulam „*parricida esto*“ in omni re capitali apud veteres Romanos positam fuisse, idemque significare, quod capital esto, quod quidem tum ex aliis XII tab. locis tum ex *Cic. de legib. II* probatur.

## *Lex XI.*

### *De parenticidio a).*

Qui parentem b) necassit, caput obnubito, culeoque insutus in profluentem mergitor c).

a) Hujus legis probatio instruitur 1) ex *Autor. ad Herenn. I, 13*: „*Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus et obligatus culeo dejiciatur in profluentem.* 2) *Festo* voc. nuptias: Nuptias dictas esse — — *Aelius* et *Cincius* (agunt) quia flameo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui nubere vocarunt, *ab quam causam legem quoque parenstam jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset, quod est obvolvere*“: quem *Festi* locum manifeste corruptum ita restituit *Jo. Scaliger*: „*legem quoque Parens tab. III*“ hoc est legem cujus principium est *parens* in tabula tertia, quam restitutionem plus quam audacem certe vocare licebit. Omnium maxime placet *Heineccii* in *not. ms.* restitutio, qui legit „*legem quoque parenticidam*“ i. e. *de parenticidio*, quasi *Festus* contracte dixerit „*parenstam*“, vetusto vocabulo usus. 3) *Valerio Maximo I, 113*. *Tarquinius* rex *M. Tullium*, duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiae suae commissum corruptus *Petronio Sabino* describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit. Idque supplicii genus non multo post patricidis lege irrogatum est. Justissime quidam, quia pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda est“. 4) Ex *Cicerone pro Roscio Amerin. nr. 26*: „*O! singularem in constituendo illo supplicii genere decemvirorum sapientiam etc.*“ quo loco omnium maxime evincitur, hanc legem in XII tabulis fuisse.

b) *Parentis* appellatione non modo patrem et matrem, sed aliquem quoque ex cognatis et affinibus qui parentum loco sunt contineri, vulgo putatur. Sed an haec extensiva interpretatio admittenda sit, valde dubito: legis sanctionem in parentibus naturalibus restringerem, adoptivis immo exclusis. Legibus demum subsecutis, imprimis lege *Pompejæ*

de parricidiis tribuenda videtur ea legis extensio, quam plurimis verbis refert *Theophilus* ad §. 6 *Inst. de del. publ.*

- e) Huic legi, quoad verba saltim, non debetur ille procedendi modus, quem refert *Theophilus* l. c. quo cum cane, gallo, vipera, et simia parenticida culeo insuebatur. Et quidem recte *Funecius*: Ab initio, inquit, non quidem videtur quidpiam parenticidis in culeo associatum fuisse. Post vero sensim, crescente sceleratorum numero, crevit etiam horrendi facinoris poena, et voluit quisque iudicum pro lubitu atrocitatem ejus aliquo symbolo demonstrare, et adaugere supplicium<sup>6</sup>. Quidquid de poena parenticidi ex antiquitate supersit, apud eundem collectum invenitur.

Caeserum hac lege plura adhuc capita comprehensa fuisse putat *Jac. Gothofredus*, scilicet, de pupillo, hospite et cliente necato, et favere conjecturae locum apud *Ennium* in *Hecuba*: „Sed nunquam scribistis, quis parentem aut hospitem necassit, quos quis cruciatu perviteret“ innuit *Hoffmannus*. Novam immo legem, quae hanc sequuta sit finxit *Boschi*, verbi: „Qui pupillum hospitem et clientem necassit, diis inferis sacer estod“<sup>6</sup>. Sed haec omnia maxime incerta sunt,

## *Lex XII.*

### *De tutoris dolo furtoque a).*

Si tutor b) dolo malo c) gerat, vituperato f): quandoque finita tutela escit, furtam duplione luito g).

- a) Fundus hujus legis sunt: 1) *Ulpian. L. 1, §. 2, D. de susp. tut.* Sciendum est, suspecti crimen e lege XII tabular. desceudere“, quod etiam totidem verbis habet *Justin.* pr. Inst. pr. Inst. dicto titulo. 2) *Cicero de offic. III, 15.* Atque ille dolus malus etiam legibus erat vindicatus ut tutela XII tabulis. 3) *Tryphonin. L. 55, §. 1, D. de administr. et peric. tutor.* Si ipsi tutores rem pupilli furati sunt, videamus, an ea actione, quae proponitur ex lege XII tabul. adversus tutorem in duplum, singuli in solidum teneantur etc. Legem ita *Hotomannus* concepit: „ut si quis doli mali culpaeve in tutela gerenda suspectus videretur, eum cuius apud praetorem suspecti arguendi jus esset, utque doli damnatus infamis fieret“.
- d) Legem de quacunque tutela intelligendum esse *Heinecc. in not. ms.* putat, non de impuberum tutela sola, ut est aliorum opinio.
- e) Dolus malus hic opponitur culpa, immo latae.
- f) Verbum hoc alii interpretantur „infamis esto“ alii „suspectum facere cuius liceto“. Veritatem in medio esse *Heinecc. in not. ms.* putat: talem enim tutorem non jam ea lege infamem factum esse, sed ex notatione praetoris, habita scilicet circumstantiarum ratione et postquam doli commissi confessus vel convictus fuerit.
- g) Hunc locum ita interpretantur, ut quidquid, quandoque finita tutela ie. vel remotione tutoris suspecti vel alio modo eg. in impuberibus, pubertate, ex rebus pupilli abalienatum, deperditum vel furto ablatum fuerit, intercedente dolo vel culpa tutoris, ab eo duplo resarciatur. Vid. *Funcc. Pothier. al.* — Dupli tamen restitutionem ad solum furtum a tutore commissum pertinere *Heinecc.* putat.

*Lex XII.**De patroni fraude a).*

Patronus si clienti fraudem  
faxit b) sacer esto.

a) *Servius ad Virgil. Aeneid. VI, v. 604: „Ex lege XII tab. venit, in quibus scriptum est: patronus si clienti fraudem faxit sacer esto“.*  
Vid. supra leges Romuli p. 11 et 12.

b) i. e. studio et dolo nocuit. Quam late caeterum pateat legis sententia ex illis adparet, quae supra p. 11 de officis patronorum et clientum erga se invicem dicta sunt.

---

*Tabula octava.*
*De Juribus praediorum,*

sive

*Jure praedicatorio a).**Lex I.**De Jure parietum b).*

Ambitus parietis c) sestertius  
pes d) esto.

a) Jus praedictorium erat, quod versabatur in controversiis circa praedia, quo pertinebat etiam titu-

lus Edicti de praedicatoribus, ad quem *Cajus* scripserat, unde superest *L. 54, D. de jure dotium*. Quod autem decemviri post materiam de delictis de juribus praediorum egerint, verisimilibus argumentis docuit *Jac. Gothofredus*. Jus praedictorium suos proprios sapientes habuisse docent *Cicero* in *Orat. pro Balb. c. 20* et *Valer. Max. VIII, 12*. Posterior „*Q. Scaevola*, inquit, quotiescunque de jure praedictorio consulabatur, ad *Furium* et *Cascellium*, quia huic scientiae dediti erant consultores rejiciebat“. Appellat *Cicero* juris praedictorii peritos, — *praedictiores*. — Vid. caet. *Hugo Rom. R., G. p. 138*.

- b) Probant hanc legem *Varro de LL, 4*: „*Ambitus*, iter quod circumeundo teritur. Ab eoque XII tabul. interpretes ambitum parietis circuitum esse, describunt“. *Volus. Maecian. in Distribut. ad Censor*: „*Sestertios* duos asses et semissem valebat, quasi semis tertius, graeca figura *ἑβδόμων ἡμιτάλαντον*. Nam sex talenta ac semitalentum eo verbo significantur. Lex etiam XII tabul. argumento est, in qua duo pedes et semis sestertius pes vocatur. *Festus v. ambitus*. *Ambitus* proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictus. Quod etiam totidem verbis transcripsit *Isidor. Origin. XV, c. ult.* Conf. *B. Brissonius select. ex jure civili antiquit. I, 2*.
- c) *Ambitus* i. e. circuitus. „*Am*“ antiquissimis latinis idem fuit ac *circum*. *Varro* et *Festus*. *Cujac. Obs. XXIII, 4*. — *Paries* domus seu aedificium per *Synecdochen* partis pro toto. Ita quoque *Horat. epist. XVIII, v, 84*.

*Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

- d) *Sestertius pes* i. e. duo pedes et semis. Vult lex, ut inter vicinorum aedificia ad circumeundi facultatem

tatem spatium vacuum duorum pedum et semis relinquatur, quam curam decemviri ideo habuisse videntur, ne incendia aedibus tum Romae ligneis nimis serperent: idque spatium *legitimum* dictum est. Vid. *L. 13, D. de servit. praed. urb.*

## *Lex II.*

### *De sodalibus eorumve inter se legibus a).*

Sodales b) legem quam volent, dumne quid ex publico corrompant c), sibi ferunt.

- a) Colligitur haec lex: 1) e *Gajo lib. 4 ad LL. XII tab. s. L. 4 D. de collegiis et corpor.* „Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt, quam graeci *ἐταιρίαν* vocant. His autem potestatem facit lex, pactionem quam velint sibi ferre: dumne quid ex publica lege corrumphant. Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata esse. Nam illic ita est: *ἐὰν δὲ Φῆμος, ἢ Φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργῶν, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ διασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι. ἢ εἰς ἔμποριαν, ὅτι ἂν τούτων, διαδῶνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δῆμόσια γραμματα.* Si autem plebs, vel fratres, vel sacerorum sacramentales, vel nautae, vel confrumentales, vel qui in eodem sepulchro sepeliuntur, aut thiasolae, qui simul ad negotiandum proficiscuntur, quicquid hi disponant, id firmum sit, nisi hoc publicae leges prohibuerint“. 2) Glossis *Philoxeni* ex libro *de offic. proconsul.*

Decemvirorum aetate non alios sodalitiij jus habuisse, quam fratres arvales, tradit *Jac. Gotho-*

*fred.* atque de iis hanc legem proprie accipiendam esse. Cum sodales aruales postea dicerentur iudices, qui de agrorum finibus cognoscerent (*Turneb. Advers. XXI, 1. Cujac. Obs. XI, 18*) ideo istam legem in octava tabula, quae de iuribus praediorum agit, collocavit. Minus recte omnino, atque in tabula nona eam collocandam esse sentio, in qua de jure publico agitur. Primum enim lex generalis est ad omnia quaecunque sodalitia legibus permissa spectans. Secundum nullo modo probari potest, fratres aruales solos hoc tempore jus collegii habuisse. Ex ordinatione potius *Numae*, quam *Plutarchus* testatur, quaeque supra p. 40 et 41 a nobis relata est, adparet, complura jam tempore regum sodalitia permissa extitisse.

*Charondas* hanc legem ita exhibet: „*Qui ejusdem collegii sodales sunt, quibus religionis aut alterius cujusque rei causa coire fas est, si quid inter se paciscuntur, id jus ratumque esto: Sed legibus publicis fraudem non faciunt*“, quam restitutionem ex parte praefero.

- b) *Sodales* sunt, qui ejusdem collegii sunt, unde collegia quoque vocantur sodalitia. *Fest. v. Sodalitatis: Sodales quidam dictos putant, quod una sederent essentque etc.* Hinc quaevis societas publice approbata vocatur sodalitas aut sodalitium. *Cic. Orat. pro Planc. c. 15. Idem de senectute c. 43. Aut ad Herenn. IV, c. 51.*
- s) Dummodo privatim non statuent, quod reipublicae adversetur. Duplicem haec admittere interpretationem puto. Primam, ne statuatur aliquid, quod legibus adversetur. Secundum, quod est adversus salutem reipublicae. Sub hac duplici enim restrictione sodalitiis jus tantum statuendi tribui poterat.

## Lex III.

*De Jure Finium a).*

- a) Legem de finium ratione ad exemplum illius Soloniae positam fuisse putat *Jac. Gothofredus*, quam refert *Gajus lib. IV ad leg. XII tab. (L. 13, D. finium regund)* his verbis: „Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo ejus legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse. Nam illic ita est: *εαν τη άιμασias παρ' άλλοτρίω χωρίω ορύγη etc.* i. e. *si quis maceriam ad alienum praedium fixerit infoderitque, terminum ne excedito: si parietem, pedem relinquito: si vero domum pedes duos: si fossam aut scroleam foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum spatii relinquito: si puteum passus latitudinem. At vero oleam et ficum ab alieno ad novem pedes plantato, caeteras arbores ad pedes quinque.* Legem ejusmodi in XII tabulis non existuisse omni procul dubio est, cum *Gajus* comparationem non instituerit, ad eam Solonicam tantum remiserit. Sed et *Gajus* Solonicam legem non curate refert, si fides est *Plutarcho in Solone*. Quare magnopere errant, qui legem plane deperditam in XII tabulis ita restituant, ut omnia comprehendat; quae in illa lege Solonica fuerint, ut *Charondas, Balduinus*, alii. Ex ipso *Gajo* potius adparet, de finibus tempore vel facto confusis regundis in XII tabulis scriptum fuisse, in hunc fere modum:

*In finibus confusis regundis caeterum finium restituendorum curam habeto, eaque tollito, quae finibus nocua sint.*

Ita enim remittere poterat *Gajus* simul ad legem illam *Solonis*, qua quae nocua finibus essent, praescriptum reperiebatur.

### *Lex IV.*

## *De quinque pedum usucapione prohibita a).*

Intra V pedes b) aeterna autoritas esto e).

- a) Mutuata est legis materia. 1) ex *Cicerone de legib. I, 21*. Ex hac autem non rerum sed verborum discordia, controversia nata est de finibus: in qua quoniam usucapionem XII tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem academiae ab hoc acuto homine non sinemus. 2) ex *Aggeno Urbico delimitib.* qui hanc rationem defensae a lege usucapionis addit: quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod usucapi non potest.
- e) Loquitur lex de interstitio V pedum medio inter duos vicinorum agros libero et vacuo, ut terminos inde quisque suos noscere, circumagere aratrum sui que agri reliqua commoda curare possit. Terminis ipso, non huic spatio intra terminos, praesidebat deus *Terminus*.
- c) Alii scribunt: „*usucapio nec esto*“, quod idem est. Cavetur lege, ne quis vicinorum de hoc spatio aliquid usucapiat. Ita fines in praediis rusticis vel plane non poterant confundi, vel confusi sine ulla difficultate restitui.

## Lex V.

*De finium regundorum judicio a).*

Si jurgant adfines finibus regundis b) praetor arbitros tris addicito.

- a) Fundus legis est *Cic. de republ.* apud *Non. Marcell. V, 34. v. jurgium.* Admiror nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. *Si jurgant inquit lex XII tabular.* benevolorum concertatio, non his inimicorum jurgium dicitur. Et in sequenti: jurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. *Idem de legibus I, 21.* (Vid. not. a leg. praec.)
- b) Si certant inter se vicini de finibus confusis et postulant ut ii regantur. *Jurgare pro litigare,* quia levior res est atque inter vicinos pari modo ac inter amicos jurgia magis quam lites existere possunt, quare et „*adfines*“ positum pro vicinis. *Festus v. adfines. Adfines in agris vicini sunt.*
- c) *Praetor tres arbitros dato.* Non judices, hi enim liti tantum praesidebant non jurgio. Atque in omnibus de finibus jurgis arbitros ex lege datos fuisse puto, quod teste *Cic. in Topic §. 21.* dein mutatum in finibus Urbanis.

## Lex VI.

*De jure possessionum a).*

— — — hortus b) — — —  
 — — —  
 — — — heredium c) — — —  
 — — —  
 — — — tugurium d) — — —

- a) Ita inscribit *Hoffmannus*. Malim de diverso praediorum jure. Scitur ex *Plinio Hist. nat. XIX, 4*: *In XII tab. legum nostrarum vocatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti vero heredium*. *Festo* voc. *Tuguria*: *Tuguria a recto appellantur aedificia rusticorum sordida. — — Quo nomine Valerius exploratione XII ait etiam — — — significari* quam lacunam supplevit *Dacrius* verbo „*Tectum*“, *Pomponio L. 180, D. de V. S. Tugurii appellatione omne aedificium, quod rusticae magis custodiae convenit, quam urbanis aedibus, significatur*, in XII tabulis de *Horto*, haeredio et tugurio aliquid scriptum fuisse. Omnia reliqua incerta sunt.
- b) *Villa* ut modo laudatus *Plinii* locus docet. Et *Festo* teste hortus apud antiquos omnis villa dicebatur. Transit vox illa dein ad locum septum atque oleribus, herbis, aut stirpium culturae destinatum.
- c) *Heredium Festus* interpretatur praedium parvulum. *Varro de re rustica I, 10*: „*Antiqui, inquit, bina jugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim, et quod heredem sequebantur, heredium appellarunt*“. *Corn. Nepos* in *Porcio Catone* versatus est in *Sabinis*, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Puto fuisse quod hodie appellamus „*ein Erbgut*“. *Plinii* tempore et hortus heredium appellabatur.
- d) *Tugurium* et cujuscunque generis aedificium est, proprie autem ita appellatur, quod rusticae magis custodiae quam urbanis aedibus convenit. Et quidem in duodecim tabulis tugurium in sensu strictissimo sumtum videtur, qua appellatione significatur autore *Festo* domicilium rusticorum sordidum ex stramentis vel arundinibus extractum.

*Lex VII.**De arboribus caedendis a).*

Si arbor in vicini fundum impendet XV pedes altius sublucator b).

- a) Haec et quae sequitur lex capita tantum legis praecedentis fuisse videntur. Pro ea probanda citantur: *Ulpian L. 1, §. ult. D. de arbor. caedend.* Ait praetor: Quae arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, si per te stat, quo minus pedes XV a terra eam altius coerceas; tunc quo minus illi ita coercere, lignaque sibi habere liceat, vim fieri veto. Quod ait praetor et lex XII Tabul. efficere voluit, ut XV pedes altius rami arboris circumcidantur. Et hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris vicino praedio noceat. *Pompon. L. 2, D. de arbor. caed.* Si arbor ex vicini fundo, vento inclinata in tuum fundum sit, ex lege XII tabul. de adimenda ea recte agere potes, jus ei non esse, ita arborem habere.

*Ulpianum* et *Pomponium* in referenda sententia hujus legis XII Tabul. quam maxime inter se distare in oculos incurrit. Prior loquitur de arbore in suo statu naturali, cujus ramorum luxuries transcendit terminos agri atque in alterum fertur sive agrum sive hortum; cum posterior contra arborem innuat, vento in fundum alienum inclinatum. Prior porro agit de circumcissione ramorum arboris, posterior de ipsa arbore tollenda. Et cum uterque ad XII tabulas provocet, duplicem quoque in illis sanctionem huc concernentem fuisse oportet; nisi velis assumere, quod refert *Pomponius*, ex mente legis tantum non ex verbis ejus, inductum esse. Et in hanc quoque sententiam post alios novissime ivit *P. C.*

*G. Andreae* in *Diss. ad Tit. digester. de arboribus caedend. Jen. 1818. p. 30.*, qua egregia locorum *Pomponii* et *Ulpiani* interpretatio continetur.

- b) *Sublucare arbores* ait *Festus* hac voce, est ramos earum supputare et veluti subtus lucem mittere: conlucare autem, succisis arboribus locum implere luce. Sed an verbo „*sublucator*“ usi fuerint decemviri, nondum liquet. Vulgaris est huius legis interpretatio, decemviros voluisse, cum arboribus in fundum alienum impendentibus radii solis avertantur, et impediuntur fructus, quin suo solo satis crescere vel ad maturitatem pervenire possint, ut arbor, qui ita impendit a possessore suo, ne vicino noceat, vel amputetur vel radicitus extirpetur. Quod si facere nolit, alteri liceat XV pedes subtus, qui obstant ramos abscindendi, lucemque sibi ex alieno reparandi. Vulgarem interpretationem in dubium primus vocavit *Hugo R. Rechtsg. ed. V. §. 89* ad locum *Basilicor. LX, 16, §. 13*, provocans et verba *Ulpiani* in *L. 1, D. §. ult. de arbor. caedend. „quindecim pedes a terra altius“* non sublucationem arboris spectare contendit, sed detruncationem superioris partis; ita ut reliqua arboris altitudinem quindecim pedum non excedant, propterea quod arbores certo spatio a fundo vicinali serendae fuerint, quo detrimentum inferiorum ramorum valde minuatur: quam *Hugonis* sententiam ex agriculturae apud Romanos ratione pluribus vindicavit *Adolph. Kirsten* in *Diss. De coercitione arborum in fundum vicinal. propendentium. Goett. 1720.* Communis contra sententia defensores nacta est *Thibautium Civilist. Abhandl. I*, et *Dirksenium* in *der Zeitschrift für geschichtl. Rechtsw. B. 2, H. 3, Abth. 16.* Conf. adh, *Hugo ed. noviss. libr. cit. p. 139.*

## Lex VIII.

### *De glande legenda a).*

Si glans in em caduca siet b) domino legere jus esto c).

- a) Colligitur lex : 1) ex *Plinio Hist. nat. XVI, 5*: „Cautum est in lege XII tabularum, ut glandem in fundum alienum procidentem liceret colligere. 2) ex *Gajo lib. IV ad leg. XII tab. L. 236, D. de verb. signif.* „Glandis appellatione omnis fructus continetur, ut *Javolenus ait*, exemplo *Graeci sermonis*, apud quos omnes arborum species ἀρόδρα appellatur“.
- b) Si glans in alienum fundum prociderit. Glandis appellatione hic omnes arborum fruges continentur. Vid. *not. praec. In em i, e. in eum Fest. h. v.* Quam *Marcilius fecit*, distinctio inter glandem prociduam et caducam, nullius momenti esse videtur.
- c) Domino vel possessori sc. arboris, legere illi jus esto. In eandem legis veteris sententiam, interdictum praetoris *L. un. D. de glande legend.* exstat, cujus haec sunt verba : „Glandem, quae ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoquo (vulg. quoque, sed quoquo legendum egrege demonstratum dedit *Thibaut. Civil. Abhandl. Nr. 12.) die legere, et auferre liceat, vim fieri veto.*

## Lex IX.

### *De Aqua pluvia a).*

Si aqua pluvia manu b) nocet, praetor arcendae aquae arbitros tres ad-

dicito c): noxaeque domino cave  
tor d).

- a) Probationes pro hac lege adducuntur: *Pompon. L. 21, D. de statu liber.* Quod ita scriptum est, *videbitur*, pro hoc accipi debet, videri poterit. Et sic verba legis XII tabul. veteres interpretati sunt: si aqua pluvia nocet i. e. si nocere poterit. *Paulus L. 5, D. Ne quid in loc. publ.* Si per publicum locum rivus aquae ductus privato nocet, erit actio privato legis XII tabul., uti noxae domino caveatur. *Cicero topic. c. 9.* genus est, aqua pluvia nocens: ejus generis formae, loci vitio, et manu nocens: quorum altera jubetur ab arbitro coerceri, altera non jubetur.
- q) Male omisit *Funccius* „manu“. Non enim, nisi de opere manu facto in lege sermo esse potest, quo aqua pluvia in fundum vicinum ita deducitur ut fruges et gramina suffocentur. Et opponitur aqua pluvia, quae vitio loci situque naturali nocet, aquae pluviae, quae manu facto alicui damnum adfert.
- c) *Tres arbitros dato*, scilicet ad rem cognoscendam.
- d) Cautionem tantum exigit lex ab eo, qui opus nocuum fecit, ne amplius eo vicino noceatur. De tollendo opere sancire noluerunt decemviri, ne proprietatis et possessionis jus imminuatur. Quantum caeterum differat haec cautio a cautione damni infecti, quam dein praetor invexit, in oculos incurrit, quamquam ad exemplum prioris posteriorem invectam esse negare nolim.

### *Lex X.*

#### *De viae latitudine a).*

Via in porrecto VIII pedes, in amfracto XVI pedes lata esto b).

- a) Desumpta est lex: 1) e *Gajo L. 8, D. de servit. pr. rust.* „Viae latitudo ex lege X I tabul. in porrectum octo pedes habet; in amfractum i. e. ubi flexum est sedecim“, cui addendus *Javolen. L. 13, §. 2 et 3, D. eod. et Celsus L. 6, D. quemadm. serv. amitt.* 2) *Varrone de LL. VI, c. 21.* Amfractum est ab origine flexum, duplici dictum ab ambitu et frangendo.
- b) Haec et quae sequitur lex magis leges generaliter latae, quam ad servitutem viae pertinere videntur, quam *Ulpian. L. 1, D. de Serv. pr. rust.* ius eundi et agendi et ambulandi describit. Sermo est de via ducente per fundos (*Feldweg*) non de via magna s. publica (*der Heerstrafse*) ad quam lex plane non pertinet. Latitudo viae eum in modum definitur, ne liceat possessoribus agrorum adjacentium eam coarctare. *In porrecto* i. e. ubi via directe excurrit. *In amfracto* i. e. in flexu, ubi via flectitur, teste Varrone:

## *Lex XI.*

### *De via munienda a).*

Si via per amsegetes b) immunita escit c), qua volet jumentum agito d).

- a) Unica pro hac lege probatio est *Cicero Orat. pro A. Caecin. c. 19,* de lege XII tab. disserens: „*Si via, inquit, sit immunita (jubet sc.) lex qua velit agere jumentum*“. *Funccius* scripsit: *Amsegetes viam muniunto, si immunita siet etc.*“ sed *Gothofredi* omnino praeferranda est lectio, cum permissione a lege data amsegetes jam ad viam muniendam impellantur.
- b) *Amsegetes* illi vocantur, quorum agri sibi invicem eadem via occurrunt; vel etiam ipsi viae

vicini, quorum affinis seges viam attingit. *Festus h. v.*

- c) i. e. si agri adjacentes sepibus fossis vel alio quovis modo muniti non sint, ita ut pecus de via in agros incurrere possit.
- d) *Jumentum agere* i. e. pecus ante se pellere. *Fest. v. jument.* Atque si recte intellexerim legis sanctionem, hoc voluerunt decemviri, ut cum pecus extra | viam immunitam excurreret vel in ipso agro ad latus viae actum fuerit. dominus vel possessor fundi de damno sibi illato non possit conqueri.

Nullum mihi dubium est, in XII tabulis similiter de jure *itineris* atque *actus* sancitum fuisse: utrumque jus enim proprie involuit servitutem praediorum rusticorum. Legem adhuc finxit *Charondas* ex *Paulo L. 5, D. ne quid in loc. publ.* „*Si per publicum locum rivus aquaeductus privato noceat, domino de noxa caveto*“, quae huc pertineret, si eam in XII tabulis fuisse probari posset.

## Tabula nona.

### De Jure publico a).

#### *Lex I.*

#### *De privilegiis b).*

#### Privilegia ne irroganto c).

- a) De jure publico hac tabula actum fuisse docet *Gajus lib. V ad leg. XII tabul.* cujus pars prior huic tabulae respondet.

- b) Fundus legis est *Cicero Orat. pro A. Sextio c. 30*: „Cum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite nisi comitus centuriatis rogari. *Idem Orat. pro domo c. 17*: „vetant leges secretae, vetant XII tabulae leges privatis hominibus irrogari, id est enim privilegium“. Sed postquam haec oratio a viro illustriss. et doct. *Wolfio* adeo suspecta facta fuerit, vix ex illa aliquid ad probandam hanc legem adduci poterit. *Idem de Legib. III, 19*: „Leges praeclarissimae de XII tabulis translatae duae, quarum altera privilegia tollit: altera de capite civis rogari nisi maximo comitiatu vetat. — In privos homines leges ferri noluerunt, id enim est privilegium. Quo quid est injustius? Cum legis haec vis sit, scitum et jussum esse in omnes. *Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt.*
- c) *Privilegia irrogare* nihil aliud est, quam in privatos ferre leges: quod decemviri ut ineptum et indignum prohibuerunt. Irrogare est, in aliquem rogare. Valet quidem ea vox in ferendis quibuslibet privilegiis, ubi populus in comitiis de alicujus commodis vel incommodis rogatur, ut plurimum tamen in malam partem sumitur de periculis in aliquem redundantibus, ut poenam etiam mulctamque alicui irrogari dicimus. Privilegia itaque hic alio sensu ac nunc sumuntur: Sunt enim, ut ea *Gothofredus* in *not.* describit, jus extraordinarium a jure communi exorbitans, quod in singulis personis simul oritur et occidit. Jus legibus comprehensum in omnes et singulos cives explicatur: et praeter id nullum decemviri voluerunt esse in privos aut singulos homines peculiare, quod et innuit *Ulpian. L. 8, D. de legib.* „Jura iniquis, non in singulas personas sed generaliter constituuntur. In personas privatas non

leges sed judicia feruntur, per quae leges ad privatorum negotia accommodantur.

Sed cave credas, decemviros etiam jus singulare excludere voluisse, quod sequenti tempore etiam privilegium appellatum est, et quod non de singulis sed de certis personis causis etc. utilitate publica suadente constituitur. Caeterum quodcumque privilegium, sive favorabile sit, sive odiosum decemviri prohibuerunt.

Videntur autem decemviri hanc legem ex jure Attico hausisse, Athenis enim non licebat legem in privatum condere, nisi occultis sex mille civium suffragiis juberetur. *Sam. Petit. II, 1, p. 114.* Unde quidam huic legi exceptionem quoque addunt „nisi per maximum comitatum, provocantes imprimis ad locum [Ciceron. supra citatum, verbaque „ferri — noluerunt“; cum vix verisimile videatur, voluisse populum se omni potestate in privatum atque singulos statuendi abdicare. Sed rectius ab aliis verba Ciceronis referuntur ad eum casum, quo de capite civis statuendum vel judicandum sit, ut *Hoffmannus, Funccius etc.*

## *Lex II.*

### *De Juris aequalitate. a).*

Nexo soluto forti sanati b)  
siremps c) jus esto d).

- a) Legis haec restitutio est. Apud *Festum* voc. *sanates* scriptum: „*Sanates dicti sunt, qui supra infraque Romam habitaverunt, quod nomen his fuit, quia cum defecissent a Romanis, brevi post redierunt in amicitiam, quasi sanata*

mente. Itaque in XII cautum est, ut idem juris esset *sanatibus*, quasi *fortibus* i. e. bonis, et qui nunquam defecerant a populo Romano. — In eodem autem legis XII tabul. capite, quasi comparatione quadam status cum *forte* et *sanate* conjunctum fuisse *nexum* et *solutum* indicat sequens illud fragmentum *Festi* ex schedis *Ursini* sic restitutum: „Sanates quasi — —. In XII; „*Nexo solutoque forti sanatique idem jus esto*“ hoc sensu, ut quemadmodum *nexo*, id est debitori, qui in vinculis creditori suo servivit, et post transactionem vel satisfactionem fuit solutus, idem jus est ac ceteris hominibus, ita et nullum ingenuitatis suae damnum sentiat, similiter quoque *sanati* idem jus esse debeat ac *forti*. Ita *Pothierus* interpretatur verba *nexo solutoque*, quae ab aliis ita intelliguntur, quasi decemviri de nexis solutisque similiter ut de *sanatis* statuere voluissent: quae *Rittershusius* se non capere fateatur, et *Func.* alii, plane abjiciunt. Supra ostendimus, tempore XII tabul. discrimen inter addictum et servum nondum cognitum fuisse, quod *Quintilianus* docet: eoque etiam cognito vix credi potest, decemviros hic jurium comparationem instituere voluisse, plane a legislatione alienam. Nisi vellent ex professo de *nexo solutoque* agere, de re plane tacendum erat,

- b) Qui *fortes*, quique *sanati* a decemviris appellati fuerint e *Festo* not a princ. citato adparet.
- c) *Siremps* i. e. simile vel idem jus esto. Inserit *Funcius* „*jus*“ ita ut legatur „*Siremps jus esto*“. *Festus h. v.* „*Siremps* dicitur quasi similis res ipsa: habetur hoc in libris *Catonis*“. Et porro: *Siremps* ponitur pro eadem, vel proinde quasi similis res ipsa, Cato in dissuadendo legemque postea relicta est, et praeterea rogas ut quemquam adversus ea si populus condemnaverit, *siremps* lex siet, quasi adversus legem fecisset“.

Vid. qui hanc vocem optime illustrarunt *Lipsium Antiq. lect. I*, et *B. Brisson de formul. p. 142.* — Et mere politicam arbitror legem, in qua cautum fuit, ut his, qui ab amicitia cum Romanis defecissent, sed mox essent reversi, idem jus esset, ut iis, qui in ea perseverassent.

- d) Hanc legem plane in XII tabulis non fuisse puto, sed legem specialem sequenti aevo demum latam, qua nexis solutis, similiter sanatis jura pristina reddita sunt, quibus ob nexum et defectionem privati essent.

### *Lex III.*

#### *De repetundis a).*

Si iudex arbiterve jure datus b) ob rem judicandam pecuniam accepit c) capital esto d).

- a) Hujus legis probandae causa citatur *Gell. N. A. XX. 1*: „Dure scriptum esse in istis legibus XII tab. quid existimari potest? nisi duram esse legem putas, quae iudicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus est, capite punit“.
- b) Distinctum voluerunt his verbis decemviri praerimis arbitrum, qui a contendentibus eligitur ab eo, qui a superiori magistratu datur in illis causis, in quibus ex lege arbitri, non iudices, dandi sunt.
- c) *Accipit pro accaperit.* Pecuniae nomen comprehendit quodvis donum ad depravandum hominis iudicium oblatum.
- d) *Capital esto i. e. capitali poena adficiatur.* Et flagitiosum non tantum sed omnium turpissimum maximeque nefarium *Ciceroni orat. in Verr.*

IV, 32 videtur, ob rem judicandam pecuniam accipere, et pretio habere addictam fidem et religionem.

### Lex IV.

#### *De capite civis a)*

De capite b) civis nisi per maximum comitiatum c) ne ferunto d).

- a) Hujus legis luculentissima testimonia exstant apud *Ciceronem de legib. III, 4*: „*De capite civis nisi per maximum comitiatum — — ne ferunto, et c. 19*: „*Leges praeclarissimae de XII tabulis translatae duae — — altera de capite civis romani nisi maximo comitiatu vetat*“, denique *Orat. pro Sexto c. 30 et 34, (et orat. pro domo c. 16 et 17. (Atque quod jam pridem latum erat teste Pomponio L. 2, §. 16, D. de orig. jur. in XII tabulis tantum repetitum est*
- b) *De capite h. e. de vita, libertate, civitate et familia adimenda. Sed intelligenda est lex de sola poenarum inflictione, non de eo casu, quo quis ob aes alienum creditori suo addicitur. Capitalia enim judicia in manu tantum populi posita fuisse constat.*
- c) Quomodo intelligenda sint verba: „*in comitiatu maximo*“ nondum liquet. Subintelligit *Cicero Orat. pro p. Sextio c. 30: Comitua centuriata. Sed ab aliis verba: „comitiatus maximus“ ad centuriata comitia referuntur.*
- d) Implicant haec verba decisionem solam, non et cognitionem, vid. leg. seq.

*Lex V.**De quaestoribus parricidii a).*

Quaestores parricidii b), qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantur c).

- a) Fundus legis sunt: 1) *Pompon. L. 2, §. 23, D. de Orig. jur.:* „Quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi non erat lege permis- sum consulibus jus dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praesent. Hi appellabantur quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex XII tabul. 2) *Festus v. quaestores.* Quaestores creabantur a populo, qui quaerent de rebus capitalibus: unde et in XII tabulis quaestores parricidii appellantur.
- b) Quaestores vel quaesitores hic sunt magistratus extraordinarii a populo constituti, ut de rebus capitalibus quaerent. Parricidii autem nomine omnia continentur crimina, quae capitis poenam merentur: ita ut duplex sit hujus verbi significa- tio, altera generalis altera specialis atque ad homicidium restricta.
- c) Ipsa quidem quaesitorum creatio vel electio po- pulo datur hac lege; sed forma non definitur. Teste *Livio IV, 51, IX, 26 et XXXVIII, 54,* primo factum est senatusconsultum, quo tribuni jubebantur de criminis alicujus quaestione ad po- pulum ferre. Consentiente et suffragante populo a senatu ejus rei inquirendae facultas dictatori, vel consulibus, vel ex praetoribus cuidam daba- tur. Vid. *Heinecc. Antiq. Rom. IV, 18, §. 14 seq.*

*Lex VI.**De coetibus nocturnis a).*

Si qui in urbe coetus nocturnos agitassit b), capital esto.

- a) Meminit hujus legis *Porcius Latro declamat. in L. Serg. Catilinam*: „Primum XII tabulis esse cognoscimus, ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret. Deinde lege *Gabinia* promulgatum esse, qui conciones ullas clandestinas in urbe conflavisset more majorum capitali supplicio multaretur“.
- b) Videtur lex respexisse ad omnes coetus, qui post solis occasum agitantur, ut vox „nocturni“ ideo sumenda sit sensu latiori. Verbum e contra „agitassit“, vix de aliis sumi poterit ac iis, qui hos coetus vel convocant, tamquam duces et principes, vel iis convocandis operam dant.

*Lex VII.**De perduellionis crimine a).*

Si qui perduellem concitassit b), civemque perduelli transduit c), capital esto.

- a) Probatur lex ex *Marciano L. 3, D. ad legem Jul. majest.* „Lex XII tabul. jubet, eum, qui hostem concitaverit, quique civem hosti tradiderit, capite puniri“. Caeterum perduellionis crimen hic alio et proprio sensu sumitur, ac in lege *Tullii Hostilii* supra p. 42.
- b) *Perduellis* hic est hostis. *Cicer. de Offic. I, 12*: „Agitassit veteres dicebant pro concitaverit. Quod multis modis fieri potuit, sive bellum suadendo,

vel hostem tantum irritando, vel immo bellum contra eum movendo privata autoritate etc. Sed hac legis sanctione non videtur comprehensum, si quis bellum civile moverit, nisi simul cum hostibus se junxerit. Vide tamen *Chr. | Contr. Gränebusch* pr. de crimine perduellionis atque majestatis apud priscos Romanos etc. *Cellae, 1801.* Latius dein hoc crimen, et ad omne factum hostile erga rempublicam extensum est, indeque phrases „aliquem perduellem judicare, perduellionis actionem intendere“.

- ) *Et civem hosti tradiderit.* Transduit pro tradiderit. Atque dein receptum est, ut omnis exercitus desertor, immo transfuga perduellis judicaretur.

---


In ista tabula procul dubio manca nil scriptum fuisse, quod ad constituendam rempublicam proprie pertineat, vel ex *Cicerone de LL. III, 19* patet, qui post exhibitas leges huc pertinentes a se conscriptas expressim dicit, se duas tantum ex legibus XII tabul. inter illas recepisse: Atque politicae patriciorum plane hoc convenire videtur, cum alias et plebeji magistratus confirmandi fuissent et jura plebeja. Aperte tamen nonnulla, quae a *Ciccone* exhibentur antiquitatem redolent eg. lex ab eo proposita: „*Ast quando duellum etc.*“ et videntur mihi a legibus ante XII tabulas latis mutuata esse.

Adderem tamen nonnulla, quae in hac tabula scripta putarem, fere ad exemplum juris Attici, veluti de jure peregrinorum et civium, de collegiis et corporibus, de capitis deminutione et post liminii jure, quae omnia satis antiqua instituta et non sine lege deprehenderim.

---

## Tabula decima.

## De Jure sacro a).

*Lex I.**De Jurejurando b).*

- c).
- a) In decima tabula de jure sacro actum fuisse patere ex *Gaji libr. V ad leges XII tabul.*, cujus pars posterior hunc decimae tabulae respondeat, putat *Gothofred.* Item ex *Cic. lib. 2 de LL*: „Postquam“, inquit, „sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt: Quam legem eisdem prope verbis decemviri in *decimam tabulam* conjecerunt“.
- b) Legem de jurejurando in XII tabulis fuisse expressam *Cicero de offic. III, 31* testatur verbis: „Nullum vinculum ad astringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacra, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides“. Adde *Gell. N. A. VII, 13*.
- c) Quam omisit *Gothofredus* legis restitutionem ausus est *Funcius* in hunc modum: „*Jurisjurandi ad fidem adstringendam maxima vis esto*“, quae certe nihili est. Et mihi quidem videtur lex *Numae p. 32* non repetita solum sed aucta ita, ut cuicumque actui jurisjurandum accesserit, is firmus atque inviolabilis servetur. — Caeterum jurisjurandi religionem, ut vulgo creditur; non primum ex legibus XII tabul. descendere, fortissimis argumentis evicit *P. L. Justi* in *Observ. critic. Spec. c. 9*. Sequitur apud *Func-*

*eium* hanc legem alia lex ita concepta: „*Sacra privata perpetuo manento*“, quam supra p. 26, inter leges *Numæ* retulimus. Probari quidem non potest, eam in XII repetitam fuisse, vero simile tamen et mihi videtur.

-----  
*Deesse* integram hujus tabulae partem *priorem* vix negari potest. Ita eam restituerem ex conjectura:

Rem sacram Diisque dicatam profanis usibus ne adhibeto.

Sacrum sacroque commendatum, qui oleperit rapsitque, parricida esto.

Perjurii poena dedecus.

Incestum pontifices supremo supplicio sanciant.

Et quidem non praesente *Cicerone*, sed ex analogia eorum, quae tabula *praecedenti* scripta sunt, et cum satis antiqua certe videantur.

## *Lex II.*

### *De sepultura et funerum modo a).*

Hominem mortuum in urbe b) ne sepelito, neve urito c).

Sumptus et luctum a deorum manium jure moveto d).

Hoc plus ne facito e), rogam ascia ne polito f).

Tribus riciniis g) et decem tibicini-bus h) foris efferre jus esto i).

Mulieres genas ne radunto k): neve lessum funeris ergo habento l).

Homini mortuo ossa ne legito quo post funus facias m), extra quam si belli endove hostico mortuus escit n).

Servilis unctura o) omnisque circumpotatio p) auferitor.

Murrata potio mortuo ne inditor. q) Ne longae coronae r) neque acerrae s) praeferuntor.

Qui coronam parit ipse pecuniave t) ejus virtutis ergo arguitor u), et ipsi mortuo parentibusque ejus, dum intus positus escit, forisve fertur, se fraude imposita esto u).

Uni plura funera ne facito v), neve plures lectos sternito w).

Neve aurum addito. Ast si cui auro dentes vincti escint, im cum illo sepelire urereve se fraude esto x).

- a) Probationes pro pluribus sanctionibus seu capitibus, quae hac in lege continentur, praebent *Cicero de legib. II, 23*: „Hominem mortuum inquit lex in XII tabulis in urbe ne sepelito, neve urito“. — *Idem eod.* „Jam cetera in XII minuendi sunt sumtus, lamentationesque funeris, translata de Solonis fere legibus: „Hoc plus“ inquit „ne facito, Rogum ascia ne polito.“ *Id. eod.* „Exte-

nuato igitur sumtu, *tribus riciniis et vinculis purpuræ et decem tibicinibus*, s. c. lex XII tabul. tollit etiam *lamentatio em*: etc. 25: „quum legem eisdem prope verbis nostri viri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de *tribus riciniis*, et ple-  
 raque alia Solonis sunt“. *Festus v. recinium: Recinium omne vestimentum quadratum.* Hi qui XII interpretati sunt, esse dixerunt *virilem togam*, qua mulieres utebantur, praetextum clavo purpureo. — *Servius in Virgil. Aeneid. XII, v. 606*: *Moris fuerat, ut ante rogos humanus sanguis effoderetur, vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem*, ut rogis illa imago restitueretur. Tamen sciendum, cautum lege XII tabular. ne mulieres carperent faciem, his verbis: „*mulier faciem ne carpito.* — *Cicero de LL. II, 23*: „*Extenuato igitur sumtu — tollit etiam lamentationem. Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*“. Et *cap. 25*: De lamentis vero expressa verbis sunt: *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*“. *Cont. Eiusd. Tuscul. quaest. II, 23. Festus v. radere. Radere genas vetitum est in lege XII tabul. i. e. unguibus scindere*“. *Acced. Plin hist. nat. II, 37.* — *Cicero de LL. II, 24*: „*Cetera item luebria, quibus luctus augetur, XII sustulerunt. „Homini“ inquit „mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat*“. *Excipit bellicam peregrinamque mortem.* — *Id. eod.* „*Haec praeterea sunt in legibus XII tabularum de unctura: quibus servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio. Quae et recte tolluntur: neque tollerentur, nisi fuissent.* — *Festus v. murata ex Varr. antiq. l. 1. Murata portione usos antiquos, indicio est, quod etiam nunc aediles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria, et quod XII tabulis cavetur, ne mortuo*

indatur. Ex *Festo Paulus*: *Murrata potione* usi sunt antiqui, sed postea adsuerunt murram diis suis libare. Ideoque XII tabulis est cautum *ne mortuo inderetur*. Quam *Plinius Hist. nat. XIV, 12* Numae *posthumiam* legem appellat: „*vino rogam ne respargito*“ hic positam fuisse creditur: certe *Cic. de legib. II, 24* in XII tabulis prohibita *sumtuosae aspersionis*, meminit. *Idem eod.* examinat, quae XII tabulis contineantur, et hoc in illis scribit fuisse: „*ne longae coronae nec acerrae praeferantur*“. *Id. eod.* „*Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere: quod coronam virtute partam, et ei qui peperisset, et ejus parenti, sine fraude esse lex impositam jubet. Plinius hist. nat. XXI, 3: „Semper auctoritas vel ludicro quaesitarum coronarum fuit. Namque ad certamina in circum, per ludos et ipsi descendebant, et servos suos quisque mittebant. Inde illa XII tabul. lex: Qui coronam parit, ipse pecuniave, ejus virtutis ergo arguitur (legendum adduitor). Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici, nemo dubitavit. Quis ergo honos? Ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita. Alias in usu promiscuo ne ludicrae quidem erant. — Cic. de LL. II, 24: „Credoque, quod erat factitatum, ut uni plura funera fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret, lege sancitum est“. — *Id. eod.* Qua in lege (sc. XII tab.) cum esset „*neve aurum addito*“ quam humane excipit. Altera lex praecipit, altera lex vetat, ut cui auro dentes juncti essent, ast im cum illo sepeliretur et ne se fraude esto (legendum sepelire urereve se fraude esto)“.*

- b) *Sc. Roma.* Atque apud Graecos mortui non sepelebantur in urbe, cujus rei testis est praeter *Homerum* illustrium virorum tumulos vel ad

littora vel ad radices montium collocantem, *Menander* in *συγκρίσει* versu 125 et seq. inter fragmenta *Menandri* a *Clerico* edita p. 276 et apud *Rutgersium* *variar. lection. IV, c. 12.*

- c) Ratio legis non una est: ne locus publicus privata religione obligaretur: ne sacra civitatis funestarentur, denique: ne pestiferis exhalationibus aere infecto contagiones oriantur. Quam adfert *Cicero* rationem: „propter ignis periculum“ ea ad solam combustionem pertinet.

Veteres Romanos mortuos non cremasse sed terra condidisse vulgo contenditur, sine ulla probatione. Tempore XII tabular. cadaverum ustionem quoque in usu fuisse, dubium esse nequit. Cremabantur vel humabantur mortui, vel ut testamentis eorum praescriptum erat, vel ut placebat illis, qui curam funerum gererent. *Kirchmayer de funerib. Rom. III.* Denegatam fuisse cremationem: 1) *infantibus*, *Plin. hist. nat. VII, 16* et *Juven. satyr. 15.* 2) *illis, qui semetipsos occiderant* et 3) *fulguritis* vulgo contenditur.

- d) Hac generali lege cavetur, ne in funeribus justo majores vel sumtus vel luctus adhibeantur. Non itaque omnem sumtum omnemque luctum lex interdicit. Atque jus Deorum manium immodicitate offendi, decemviri putarunt. Caeterum de diis manibus consulendus est *Gutherius de jure manium II, 16.*
- e) Quo verba ista pertineant, adhuc inter criticos disputatur. Quidam ea legis proxime sequentis clausulam faciunt, et eo rejicienda arbitrantur ut *Marcilius* et *Rittershusius*, qui ita legunt: „sumptum minuito, tria si volet ricinia et vincula purpurae et decem tibicines adhibeto. Hoc plus ne facito“. Alii ut *Lipsius* et *Charondas* verba haec instar prologi sanctionum, quae sequuntur habent, quasi dicatur: *Hoc quod*

*ordine interdictum sequitur ne amplius facito* *Raevarius* textum ita accipit: *ne facito ro- gum ascia, ne polito*. Priores namque voces „*hoc plus*“ non fuisse in XII tabulis, sed *Cice- ronis* esse putat. Plurimi certe cum *Gotho- fredo* verba haec in se considerant absolute, ita quidem, ut caetera de funeribus, eorundemque minuendis sumptibus praecepta simul omnia com- prehendant: ut nostra aetate scribitur in legibus: „*Das insbesondere wird fur die Zukunft unter- sagt*“ Sed multa certe huic repraesentationi ob- stant, et plane ea abjicit *Auson. Popma ad Caton. de re rustic.*

- f) *Ascia* dolabrae genus est, poliendis levigandisque lignis aptum, unde verbum *exasciare* i. e. *dedo- lare* vel *polire*. Prohibent ergo decemviri, ne li- gna ex quibus extraheretur rogas dedolando exor- narentur. Male caeterum hanc legem a Romanis servatam fuisse testantur *Plinius Hist. nat. XXXV, 7* et *Statius Silv. 2.*
- g) *Ricinium* teste *Festo* h. v. est *omne vestimentum quadratum*, ii, qui duodecim interpretati sunt esse dixerunt. *Verrius* togam, qua mulieres ute- bantur, praetextam clavo purpureo“. Et alibi: *Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum*, quo *flaminiae* pro palliolo mitrave utebantur, ut *Verrius* existimat“. Sed ista non satisfacere interpretibus, cum alii verba „*tribus riciniis*“ de tribus vestimentis vel ipsi cadaveri impositis vel cum eo condendis; alii de tribus mulieribus, quae capite aperto et veste lugubri indutae funus sequebantur, (ita ut ricinium sit ma- tronale operimentum et tria operimenta pro ipsis tribus personis posita intelligantur), interpretati sint, (vid. *Funcc.* quam posteriorem sententiam praetero propter ea, quae sequuntur. Atque *ricinium* bene significare potest foeminam lugentem. —

Inserit *Funccius*, *Hotomannum*, *Turnebum* et *Rittershusium* secutus textui „*et vinctulis purpureis*“ ita ut haec legis sententia sit: exanimatum corpus, quando componitur domi et foras effertur non plures quam tres mulieres lugentes et decem tibicines habere, ipsum vero non nisi purpureis fascibus involutum esse posse, eoque simul prohiberi, ne, quod olim moris erat, mortuus nitidissimis ejus vestibus, quibus in vita usus et vel indutus, vel illis super eum coacervatis, cum his simul vel ureretur vel sepeliretur. Sed sperno cum *Gothofredo* hoc additamentum, quod omne autoritate destituitur.

- h) Apud Romanos obtinuit, ut funebris pompa tibicinibus, quos vulgo *siticines* vocabant, procederet teste *Gellio N. A. XX, 2*: „Atque hi cum lamentabili musica vel cantu luctum testabantur, defunctorumque celebrabant virtutes.
- i) Pertinet hoc „*foris efferre*“ ad illud, quod hodie appellamus: „*das öffentliche Ausstellen der Todten*“ — Mortuorum enim cadavera foris efferrebantur in forum, post extra urbem in campum Martium, si qui ex principibus mortui erant, in vias agros, ad montium radices aut in alium a pontifice ad sepulturam destinatum locum.
- k) *Faciem ne carpunto neve genas radunto* edidit *Funccius*, auctoritate *Servii* et *Ciceronis* simul, quorum alter priorem alter posteriorem legis partem referat, ita ut legis sententia sit: mulieres neque deformem faciem reddere debere, scilicet squalore vel sanguine, nec radere aut vulnerare i. e. unguibus lacerare genas. Et bene tolerari posse hanc lectionem puto.
- l) Quid sit *lessum facere* optime exposuit *Cicero de legib<sup>us</sup> II, 23*: „*Hoc veteres*“, inquit, „*interpretes Sext. Aelius L. Acilius non satis intelligere se dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius lessum quas*

lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat, quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Add. *Tuscul. quaest. II, 23*: „Lessus adeoque ejulationem vocemque lamentationibus plenam significat.

- m) Recte *Marcilius* legem de eo casu accipit, quo combusti cadaveris reliquiae eum in finem leguntur, ut funus funerisque de novo impensae reiterentur. Quare ossium lectio non in totum defensa existimari potest, eum in finem, ut humi condantur, vel asserventur. *Funccius* verba „*ossa ne legito*“ et de abscissione membri intellegit, cum *Raevardo* distinguens inter „*Hominis mortui ossa legere*“ et „*ossa legere homini mortuo*“.
- n) Excipit lex casum, quo quis in bello succubuit, vel peregre mortuus est, in hoc enim ossa ejus in patriam transferre, et solenniter humi condere permissum fuit.
- o) *Servilis unctura*, quae etiam *pollinctura* vocatur hic est, quae a servis pollinctoribus perficiebatur, penes quos mortuorum cura erai. *Non. Marcell, c. 2, L. 5, §. 8, D. de instit. act.* „Et quidem solebant Romani ut plerique alii celebriores regionum populi, quorum *Rittershusius* meminit, post lavatos mortuos eos pretiosis unguentis et herbis perfundere, seu ut hodie dicimus: „*einzubalsamiren*“.
- p) *Circumpotatio* sunt funebres et sepulchrales epulae, quae a Graecis *περίδειπνα*, *νεπροδειπνα* et *ταφα*, a Latinis etiam parentalia, silicernia, feralia, exequialia et funebria convivia vocantur. Sed plures erant et variae ejusmodi sepulchrales epulae, ut demonstratum dedit *Gutherius de jure man. I, 26*: omnes vero quaecunque lege prohibitaerunt.
- q) *Murrata potio* aliis dicitur potio artificialis a vino distincta, aliis potio optimi vini sachari et aro-

matum quaedam mixtura. Posteriorem sententiam comprobare videtur *Plin. H. N. XIV, 13.*

- r) Est lex *Numae* cujus pag. 37. mentionem fecimus a decemviris recepta. Cum corpus arderet, vino rogam aspergebant, ut flammae validiores essent, *vel* propter aliam causam. *Festus v. respersum*: „Respersionem duplicem factam esse alii contendunt in rogam ardentem, et extinctum seu in ipsos cineres. Quidquid sit, utraque certe lege decemvirali vetita est.
- 5) „*Coronae*“, ait, „*Plin. H. N. XXI, 3: deorum honos erant, et larium publicorum privatorumque ac sepulchrorum et manium*“. Neque omnes coronas vetat lex in funeralibus, *longas* tantum, quae solis viris principibus atque diis conveniebant. Alii coronarum *longam* seriem intelligunt, quae a decemviris prohibita fuerit.
- t) *Acerrae*, graeca *εχάραι*, foci, arae portatiles, quibus ante cadavera positae, odores atque suffitum incendere consueverant. Secundum alios fuere thuribula seu arculae thurariae. Ita videlicet *Festus* h. v. „*Acerra* ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alii dicunt arculam esse thurariam, scilicet ubi thus reponerent“. Loquitur lex de acerris mortuo praefereendis, in quibus cum species quaedam cultus divini inesse videatur, quae ratio sit prohibitionis facile intelligitur.
- t) *Pecuniave* i. e. propter ipsius vel pecuniae suae virtutem. Pecuniae vero nomine omnis facultas intelligitur, equi, servi, quadrigae, caeteraque corpora. Parum igitur refert, utrum aliquis ipse certaverit, victoriamque reportaverit, an ipsius equi, servi etc.
- u) Ab aliis legitur „*arduitor*“, quod antiquitus positum pro „*additor*“. *Arguitor* i. e. *addatur*.
- v) Exceptio statuitur in hac sanctione decemvirali a prohibitione generali, ne *longae* coronae mortuo

praeferantur vel is illis ornentur. Si enim tales, quis sua virtute in castris vel etiam in ludis victor meruit vel ipse vel per rem suam, permittit lex illis uti nonsolum in funeralibus hujus, qui meruit, sed etiam in funeralibus parentum ejus, ut nonsolum victori sed etiam illius parentibus post fata dignitas singularis tribuatur.

w) Pertinet huc quoque superior prohibitio, ne ossa secundi funeris causa legantur.

x) Constat ex *Persii sat. 3*, mortuos primo domi alto positos fuisse lecto. Deinde lecto etiam positi heredum proximorum humeris ad rogam vel ad sepulchrum efferebantur, *Horat. serm. II, 8. 5*: „Sternebantur etiam in funere lecti plures pompae causa: quod ne in posterum fiat lege jubetur. Sed mox absoletam legem videmus, et ingens lectorum numerus sequenti tempore saltim in funeralibus procerum conspicuus fuit. Vid. *Guther. de jure man. I, 24*.

\*) i. e. *Sine fraude esto*, i. e. *licet*. Omne aurum a funere amovendum lex jubet, atque vetat rogo vel sepulchro injici. Et novimus antiquitus morem fuisse ut pretiosissima quaeque cum mortuo simul flammis vel cespiti concredita perderent. Sed an verbo „*aurum*“ quodcunque pretiosissimum comprehensum sit, non liquet. Fere negarem ob ipsam a decemviris factam exceptionem ratione ejus auri, quo dentes vincti essent. Sed hoc aurum ipsa ossium pars esse videtur.

### *Lex III.*

*De spatio intra rogam bustumve et alienas aedes a).*

Rogum bustumve b) novum aedes alienas proprius LX pedes c), si dominus nolet ne adjicito.

- a) Cognitam habemus hanc legem e *Cicerone de legib.* „Duae sunt, inquit, praeterea leges de sepulchris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulchris cavet. Nam quod rogi bustumve novum vetat proprius sexaginta pedes adjici aedes alienas, invito domino; incendium veretur acerbum. Add. *L. 3, de mortuo inferendo.*
- b) *Bustum*, inquit, *Festus* h. v. proprie dicitur locus in quo mortuus est combustus et sepultus, diciturque bene ustum. Ubi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo *ustrina* vocatur. Sed modo *bustum*, eo quod sepelitur, *sepulchra* vocamus“. Differentiam *funeris*, *rogi*, *busti*, *pyrae* etc. *Jos. Scaliger* in *Festi* castigationibus indicat v. *bustum*. Apparatus mortuorum *funus* dici solet, exstructio lignorum *rogus*, subjectio ignis *pyra*, crematio cadaveris *bustum*, locus *ustrina*, operis constructio *sepulchrum*, inscriptum nomen memoriaeque monumentum.
- c) *Pedis Romani* delineationem accuratam exhibuit *Santoroccus* in *breviar. Rom. antiq. p. II, S. 4, c. 7, §. 4*: „Caeterum ex superiori legis sanctione patet, de aedibus extra urbem haec tantum valere posse, cum in urbe combustio et sepultura vetita esset.

#### *Lex IV.*

### *De usucapione fori bustive prohibita a).*

Fori b) bustive aeterna auctoritas esto c).

- a) Noscitur haec lex e *Cicerone de legib. II, 24*: „Quod autem forum i. e. *vestibulum sepulchri*,

*bustumve usucapi vetat*, tuetur jus sepulchrorum. Haec habemus in XII, sane secundum naturam, quae norma legis est“.

- b) Forum ipse *Cicero* l. c. vestibulum sepulchri interpretatur. Vid. caet. *Turneb. comm. ad h.l.*
- e) Usucapionem omnem in foro bustuve lex interdicat. Religio illa erga sepulchra originem traxit a dedicatione sepulchrorum, quae diis manibus fieri solebat: hinc etiam consecrata dicuntur. Non autem illud spatium modo erat religiosum, quo cadaver concludebatur, sed et aliqua vicinae areae pars, cujus ambitum in monumentis designare solebant hoc modo“. *Jn. Fr. p. X. in. agr. p. XX i. e. in fronte pedes X, in agrum pedes XX. Hein. antiq. II, 1, p. 367.*

—

Additur a *Funccio* in hac tabula adhuc lex V hujus tenoris:

*Quom fonus effertur nec en comitiato.*

auctoritate *Victorini de orthographia*, qui ita: „*Fonus pro funus dicebant, ut in XII tabulis: Quam fonus ecfertor, nei en comitiato.*“ Scilicet cum funus indictivum sit et decretum alicui propter bene merita ex Scto, quod factum comperimus in illustribus et de republica bene meritis viris, ut tunc plerisque magistratibus cum senatu et populo exequias euntibus, comitia non debeant haberi, quia suffragia defutura fuissent.

Aliam adhuc legem adjicit *Constant. Landius Exercit ad L. 38, D. de relig. in Ev. Otton. Th. jur. civ. III, p. 1414*, quae ita sonat: *Defuncti injuria non afficiuntor. sed eum refutavit ab Idsinga var. jur. civil. c. 20.*

## Tabula undecima a).

## Supplementum quinque priorum tabularum.

*Lex I.**De posterioribus populi jussis b).*

## Quod postremum populus jussit id jus ratumque esto c).

- a) Capita hujus et quae sequitur tabulae ad ordinem decem priorum disposita fuisse docet *Jac. Gothofredus* ex serie sententiarum, quae lege 236 *D. de V. S.* continentur.
- b) Testis legis est *Livius VII, 17*: „Interrex Fabius ajebat, in XII tabulis legem esse, *ut quodcumque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset: jussum populi et suffragium esse*“ Et c. 34: „Nemo eorum XII tabulas legit? Nemo id jus esse *quod postremo populus jussisset*, scivit? Immo vero omnes sciverunt. Ideo Aemiliae potius legi paruerunt, quam illi antiquae, qua primum censores creatierant, quia haec postremum jusserat populus: et quia ubi duae contrariae leges sunt, semper antiquam abrogat nova“. Omni procul dubio haec lex non ad hanc sed ad tabulam, quae sequitur referri debet, cum ad Jus publicum pertineat.
- c) Sensus quidem legis generatim hic esse videtur, ut lex posterior priori adversa eam vel plane tollat vel pro parte, et si hoc quoque in posteriori lege expressum non sit, ut priori ea abrogatum vel derogatum esse debeat. Et discimus ex *Livio IX, 33*, et de eo disputatum fuisse, an qui sub certa lege

Magistratum inierant alia deinde lata vincirentur. Sed specialiter ideo lata esse videtur, ut de quo dubitatum fuit, *jussum* populi ejus *suffragiis* aequet. Cum enim solenniter aliquid et suffragiis latus sancitum esset, quaestio oriebatur, an ita sancitum solenni tantum contraria sanctione, vel etiam solo jussu populi contrario tolli possit, ita ut jussus et voluntas quomodunque declarata sit idem. Atque huic legi originem debere doctrinam illam de consuetudine et desuetudine, qua leges dein oblitteratae sunt. Atque certe non fallunt ii, qui has duas posteriores tabulas ex parte in fraudem priorum latus existimant.

## *Lex II.*

### *De connubio patribus cum plebe prohibito a).*

Patribus cum plebe connubii  
jus nec esto b).

- a) Legem refert *Dionys. Hal. Ant. Rom. X, 13*, non tantum his verbis: „Appius ejusque collega quum reliquas leges in XII tabulis scripsissent, has quoque decem illis prioribus addiderunt, in quibus haec quoque lex erat, ne patribus connubia cum plebejis contrahere liceat: non ob aliam causam, ut mihi videtur, quam ne, familiis conjugii et affinitatis vinculo consociatis, ordines in concordiam coerent“. *Liv. IV, 4.*
- b) Non diu valuit haec legis deeeemviralis sanctio, sed mox tribunorum rogatione sublata est. Sed et intra quod valuit tempus, multum detrimenti rei-publicae attulit.

## Lex III.

*De sacris detestandis a).*— — — — —  
— — — — — Detestatum — — —  
— — — — —

- a) Legem ejusmodi in XII tabulis fuisse *Gothofredus* e lege 238, *D. de V. S.* (quae ex *Gaji libr. 6 ad XII tab.* desumpta est „detestatum est testatione denuntiatum“ evincere conatur, unde pateat hoc verbum in XII tabulis fuisse. Cumque et *Servius Sulpicius de sacris detestandis* scripserit teste *Gellio VI, 12* haec quaecunque lex ei ad sacrorum detestationem pertinuisse videtur, quae fuerit appendix successionum. Sed haec omnia solis conjecturis nituntur, eodemque jure hic poni posset de testamentis sanctio, cum et *Servius Sulpicius de jure testamentorum* probante id *Gellio* egerit. —

Si dicendum, quod nobis videtur, hoc loco decemviri praescripserunt, ut testamenta comitiis calatis conderentur, atque in illis simul sacrorum detestatio fieret. Id quoque possibile est, ut decemviri, quae in comitis calatis praeter testamenta adhuc expedienda essent negotia, addiderint. Atque certe duplex illud testamentum in comitiis calatis et inprocinctu, cujus *Gajus Inst. comm. II §. 101*“ antiquissimi meminit, est ex legibus XII tabularum, monente eodem *Gajo*, testamentum per aes et libram dein introductum esse pro his, qui subito morbo vel fato erepti in comitiis testamentum condere non possent. —

Tria sunt, de quibus in XII tabulis praescripta putarem, et quidem in hac tabula, in qua plurima desunt: 1) de testamentis. 2) de sacro-

*rum detestatione.* 3) de *Usucapione* totius *hereditatis* ad excludendum jus legitimorum, quam in usu fuisse *Gajus Instit. Comment. II, §. 55* testatur, ideoque talem improbam possessionem et usucapionem concessam esse dicit, ut maturius hereditates adirentur, essentque qui sacra facerent, quorum illis temporibus summa observatio fuit, et ut creditores haberent, a quo suum consequerentur. Videtur quidem eodem *Gajo* autore hoc usu inductum, cum hereditas anno usucaperetur, atque inter *caeteras* res referatur, in quibus XII tabulae annale tantum tempus concesserunt, sed vix credi potest, tale quid moribus et interpretatione, sine ulla lege inductum esse. Et lubenter duas hic adderem leges hujus tenoris; ut scilicet

*In comitiis calatis testamentum quisque faciat, simulque sacrorum detestatio fiat, praeter eum, qui in procinctu sit: ut in his etiam arrogatio expediatur.*

*Ut usucaptis bonis defuncti jus hereditarium cesset.*

ita *Gajum* interpretaturus, quasi usucapio hereditatis ex lege XII tabular. descendat, non addito tempore quo procedat, idque tempus dein interpretatione definitum sit.

Caeterum de sacrorum detestatione eruditam habemus *C. G. Schwarzii* Diss. (inter *Dissert. ej. sel.* ab *Harlesio* edit. Erlang. 1778. nr. XI) ad quam eos, qui plura ea de re scire volunt ablegamus.

Reliqua hujus tabulae desunt.

---

anc tabulam rejecta lege *de populi jussis* quam *Gothofredus* priori loco posuit ad tabulam sequentem ita restituerem.

*Supplement. Tab. I.*

*Iudex antequam stlitem aggrediatur juramento obstringitor \*)*.

*Supplement. Tab. II.*

*Testes non, nisi oculati et jurati testimonium dicunt \**).

*Quaecunque alter cum altero, volens cum volente coram testibus pactus fuerit, ea rata sunt, modo legibus non adversentur.*

*Eorum de quibus transactum fuerit, lites ne sunt †).*

*Supplement. Tab. III.*

*Rerum creditarum condictio tantum esto ††).*

*Super quibus rebus juratur, juramento standum \*)*.

*Supplement. Tab. IV.*

*Patribus cum plebe connubii jus nec esto.*

*Sociam et libertinam matremfamilias non habeto \*\*).*

*Eum qui in potestate patris est, imperio magistratus adoptare fas esto †).*

*Supplement. Tab. V.*

*Testamenta in comitiis calatis faciunt ††).*

*In his etiam sacra detestantur.*

*Ei qui in procinctu est libere testari licet.*

*In comitiis calatis etiam arrogationem faciunt.*

*Usu auctoritate hereditatis jus legitimorum heredum excluditur.*

\*) Jusjurandum iudicis perantiquam institutionem esse monstravit *Sigon. de ant. jur. Rom. I, 28.*

\*\*\*) Istam sanctionem juris Attici (*Pet. leg. Att. p. 106.*) et antiquitus apud Romanos probatam et observatam legimus.

†) Haec et quae praecedit sanctio ex ordine edicti perpetui et pandectarum probari possunt. Saltim de pactis et transactionibus simile quid in legibus XII tabul. sancitum fuit.

††) *Gajus Inst. comm. IV §. 18 seq.*

\*) Non primum hoc praetoris edicto inductum esse demonstratum dederunt *Edm. Merillius Obs. III, 13*, et *Jo. v. de Water Obs. Jur. Rom. II, 10*.

\*\*\*) Tale quid in XII Tabul. sancitum fuisse accipere suadent, quae sequenti aevo ea de re, non noviter sancita, potius restaurata inveniuntur.

†) Hoc quoque antiquitus observatum legitur, et certe non sine lege.

††) Haec et quae ultimo loco posita hic est sanctio hunc in modum mihi probantur decemvirales. Ab omnibus rei Romanae scriptoribus ista duo testamentum in comitiis calatis et in procinctu antiquissima testamenta referuntur. Sed ne ullum horum testamentorum vestigium ante XII tabulas occurrit. Et non a vero aliena mihi videtur eorum assertio, qui originem in legibus XII tabularum quaerunt. Sed fixi fere non potuit, ut testamentorum jus pronunciaretur, non simul forma eorum.

## Tabula duodecima.

## Supplementum quinque posteriorum Tabularum.

*Lex I.**De pignore a).*

b).

a) Legem de pignore in XII tabulis fuisse concludit *Gothofredus ex Leg. 238, §. 2, D. de verb. sign.* quae lex e *Gaji lib. 6 ad XII tab.* desumpta est, in qua haec leguntur: „pignus appellatum a pugno, quia res, quae pignori dantur, manu traduntur. Unde etiam videri potest, verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui“.

b) In *Gaji Instit. Comment. III, §. 90 seq.* ubi de obligatione, quae re contrahitur, loquitur, ne verbo quidem pignoris mentio fit. Sed IV §. 28, ubi de actionibus legis disserit, meminit actionis legis per pignoris capionem ex ipsis XII tabulis descendens in hunc modum: „lege autem introducta est pignoris capio, velut lege XII tabularum adversus eum, qui hostiam emisset, nec pretium redderet: item adversus eum, qui mercedem non redderet pro eo jumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, id est in sacrificium impenderet“. Itaque puto, non de pignore, quod pro securitate crediti datur, sed de pignoris capione in XII tabulis scriptum fuisse. Et pignus proprie sic dictum hoc adhuc tempore

plane incognitum fuisse videtur: jam quidquid caeterum circa pignus obvenit sub ea lege, quae de nexu mancipioque rei loquitur, continetur.

## *Lex II.*

### *De re litigiosa a).*

Si qua rem de qua stilis siet b), in sacrum dedicassit c), duplione decidito d).

- a) Desumpta est haec lex e *Gajo* lib. 6 ad leg. XII tab. *L. ult. D. de religios.* Rem de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare; alioquin dupli poenam patimur. Nec immerito, ne liceat eo modo durio rem adversarii conditionem facere. Sed duplum, utrum fisco, an adversario praestandum sit, nihil exprimitur. Fortassis autem magis adversario, ut id veluti solatium habeat, pro eo, quod potentiori adversario traditum est.
- b) i. e. de qua in jure vel in judicio controversatur. Ex *L. 1, D. de litigios.* res quidem litigiosa primum constituitur per litis contestationem: sed haec decemvirorum aetate adhuc incognita erant.
- c) „*Dedicassit*“ pro „*dedicaverit*“. Dedicare idem est, quod consecrare, vel sempiterna religione obligare. Atque in ejusmodi dedicationibus introductum fuit, ut quis solenniter profiteatur, *rem esse probam, profanam, sui auri*, cujus formulae interpretationem *Festus* voc. *puri* exhibet.

Inserendum esse textui puto „*vel servum de quo contenditur manumiserit*“ propter ea, quae infra dicentur.

- d) i. e. *Adversario suo damnnum duplo compensare debet.* Dedicatione enim in sacrum rei, et manu-

missione servi aliquis adversario suo adversarium iuvincibilem oppouit, religionem scilicet et libertatem, cum res in sacrum dedicata profanari, et libertas semel data revocari nequeat.

### *Lex III.*

#### *De malae fidei possessore a).*

Si vindiciam falsam tulit b)  
praetor rei sive stlitis arbitros  
tris dato, eorum arbitrii fructi  
duplione decidito c).

- a) Legis tenor collectus est ex *Festo v. vindiciae*. „Vindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo sumtae, in jus ablatae erant. At *Serv. Sulpicius* — jam singulariter formato vindiciam esse ait — — qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur. Et in XII: „*Si vindiciam falsam tulit* — — si velit is (legendum reer vel stlitis) arbitros tres dato. Eorum arbitrii fructus duplione damnus decidito“. Add. *L. 19, D. de usur. et fruct.* et *L. un. Cod. Theod. de usur. rei judic.*
- b) *Vindiciam falsam* is fert, qui rei possessor post manuum conseruionem succubuit. Atque mala fides certe ab eo tantum tempore computanda est, quo manum conseruit.
- c) Dati sunt hi arbitri non ad cognoscendum de bona vel mala fide, (de ea enim re cognitione non amplius opus erat) sed ut constituerent de fructuum numero eorumque aestimatione. Atque de duplicibus fructibus resituendis idcirco sancitum videtur, ut omnis de eo, quod interest, quaestio cessaret.

## Lex IV.

*De noxae datione a).*

Si servus sciente b) domino furtum c) faxit noxiamque noxio d) noxae dedito e).

- a) Legis probatio instituitur: 1) Ex §. 4 *Inst. de noxal. act.* „Sunt autem constitutae noxales actiones aut legibus aut edicto praetoris. Legibus, velut furti ex lege XII tabul.“ Add. *Gaj. Inst. comm. II*, §. 76. 2) Ex *Ulpiano L. 2, §. 1, D. de nox. act.* „Celsus differentiam facit inter legem Aquiliam et legem XII tabul. Nam in lege antiqua: si servus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis, nec dominus suo nomine tenetur. At in lege Aquilia, inquit, dominus suo nomine tenetur, non servi. Utriusque legis reddit rationem: XII tabul. quasi voluerit, servos dominis in hac re non obtemperare: Aquiliae, quasi ignoverit servo, qui domino paruit, periturus, si non fecisset.“ 3) Ex *Gajo lib. 6 ad leg. XII tab. l. 238 §. ult. D. de verb. sign.* „Noxae appellatione omne delictum continetur“.
- b) Legendum omnino est in *Ulpiano* „insciente domino“ non ut vulgo „sciente“. Quod enim sciente domino et non prohibente factum est, iudicatur quasi iussum. Totius damni vero reparatio sequitur iussum; non noxae datio. Dissensum Jureconsultorum de ea re exhibet *Ger. Noodt ad leg. Aquil. lib. sing. c. 10, p. 152*, qui et locum *Ulpiani* cum aliis Pandect. locis conciliare studuit.
- c) Sermo est in lege de furto nec manifesto. De furto manifesto enim supra tabul. II specialis sanctio exstat.

- d) *Noxiamque noxit* i. e. quodcunque aliud delictum commiserit, quo damnum alicui datum sit. Noxiae enim appellatione quodcunque delictum continetur, quo nocetur. *L. 238, D. de verb. signif.*
- e) i. e. *pro damno tradito*. Quod hic permittitur domino, maxime favorem ejus respicit. Cum enim noxa caput sequatur, illeque esset servi caput, ad omne a servo damnum illatum resarciendum obstrictus fuisset. Fere crederem, in lege simul de jure patrisfamilias filium, qui furtum vel noxiam commisit, noxae dandi cautum fuisse, legemque ita constituerem:

*Si filiusfamilias vel servus in scio patrefamilias vel domino furtum faxit etc.*

Refert enim *Gajus l. c. jus patrisfamilias noxae dandi filium* similiter ad jura antiquitus constituta, quaestionem simul explicans, an in noxae datione filiusfamilias terna illa in XII tabulis praescripta emancipatio necessaria fuerit. Et opinor legem Romuli hic pro parte repetitam esse.

Reliqua hujus tabulae iterum desunt.

## *Restitutio hujus tabulae ex conjectura.*

### *Supplem. tabul. VI.*

Pignoris capione non nisi adversus eum procedatur, qui hostiam emit et pretium non reddidit, item qui mercedem non reddidit pro eo jumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem impenderet \*).

Rerum mulieris, quae in agnatorum tutela est, usus auctoritas nec esto, praeterquam si ab ipso tutore auctore traditae fuerint \*\*).

Si qui rem de qua stilis siet in sacrum dedicasit duplione decidito.

Si vindictiam falsam tulit praetor rei sive stilitis arbitros tres dato; eorumque arbitrio fructi duplione decidito.

*Supplem. tabul. VII.*

Si filiusfamilias vel servus insciente patrefamilias vel domino furtum faxit, noxiamque noxit, noxae dato.

*Supplem. tabul. IX.*

Quod postremum populus jussit id jus ratum esto \*).

Qui legem promulgat nec rogat, in eum animadvertitor.

Legem contrariam alteri legi non rogato.

Lex rata esto ab ea die, qua lata est.

Jus civitatis non nisi consensu populi dator.

\*) *Gaj. Inst. comm.* III, §. 90.

\*\*) *Id. eod.* II, §. 46, nisi malis addere ipsi tabulae sextae, quod supra pag. 239 proposui.

\*) Lex a *Gothofredo* in *tab. undec.* collocata.

## Corrigenda et Addenda.

---

- P. 9 not. \*\* in fine lege „tribus quas“ unam tantum tribum“ et „duas ab initio“ et adde post verba finalia „tribus Tatiensium“. Caeterum ab hoc originario ordine equestri admodum differt institutio sub hoc nomine, quae dem invaluit. C. G. Schwarz *Dissert. select.* p. 60 seq. N. J. Jantzen *D. de ordine equestri ap. Roman.* Lugd. Bat. 1744. C. Rom, pr. *Ordo equestris ap. Roman., quo tempore ortus sit ejusmodi, qui interjectus quasi et medius inter senatum et plebem esset.* Lips. 1787.
- P. 17 lin. 3 leg. „ex quaque tribu“.
- P. 18 lin. 8 post verba „augures creatos oportet“ adde. Conf. J. D. Schoepflin. *D. de auspici. Rom.* Arg. 1731 et in *Comm. critic. et historic.* p. 145.
- P. 85 lin. 30 lege „post reges exactos“.
- P. 86 lin. 29 lege „magistratum“.
- P. 122 lin. 4 lege „libertos“.
- Ibid not. c. lin. 5 lege „ilico“.
- P. 124 lin. 2 leg. „E Plauto“.
- P. 128 not. a lin. 17 leg. „Lex Aelia Sextia.“
- P. 130 lin. 7 leg. „c)“.
- P. 138 lin. 1 leg. „verba“.
- P. 139 lin. 33 leg. „judices datos“.
- P. 151 litt. 20 lege „Cujacio“.

hic refert *Gothofredus*, unquam in XII tabul-  
exstiterit.

P. 272 not. a lin. 24 lege „inclinatam“.

P. 286 not. b lin. 1 lege „expressim“.

P. 291 not. c lin. 3 lege „erat“.

P. 300 not. a lin. ult. post verbum „coirent“ adde „sed  
idem quoque testatur“.